65

R. Pk
136

Ja. 22.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0002


יהוה
Quam ampla sunt Opera Tua ô JEHOVA! Psalm. 104.
IACOBI BREYNII
GEDANENSIS
PLANTARUM
EXOTICARUM
CENTURIA
PRIMA
SALOMON
CYRUS
ANNO MDC LXXVI
GEDANI,
AUTORIS TYPIS ET SUMPTIBUS.
Andr. Stech delin. A°. 1670.
L. Visscher sculp. A°. 1674.

HONFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0006

JACOBI BREYNII
GEDANENSIS

EXOTICARUM

aliarumque

MINUS COGNITARUM

PLANTARUM

CENTURIA PRIMA,

cum

FIGURIS ÆNEIS SUMMO studio elaboratis.



GEDANI.

Typis, sumptibus & in ædibus AUTORIS,
Imprimebat
DAVID-FRIDERICUS RHETIUS.
Anno cIↃ. IↃc. LXXIIX.

KÖN.FRIED.
UNIVERS.
ZV HALLE

PRIVILEGIE

DE Staten van Hollandt ende Westvrieslandt doen te weeten. Alsoo Ons vertoont is by Jacob Brayne. Hoe dat hy Supplic. tot syn groote kosten hadde laten drucken seeker Boeck geintituleert CENTURIA PLANTARUM EXOTICARUM, en alsoo int selve Werck/ boven alle groote moeyelyckheden / groote Costen waren aangewendt / soo int selve te drucken als an het snyden der Plaeten / en also dickmals nydige Menschen/gebonden wierden/die uyt buyle baat lust/ t selffde souden mogen komen naar te schnyden ofte drucken/en alsoo den Moet benemen van yetwes verders uyt te wercken; soo was hy Suppl seer oodtmoedigh versoeckende dat sulx moght geweert werden/ ende hem Suppl. mocht toegestaen werden / dat het selve alhier te Lande in den Tydt van vyfftien Jaeren nu eerst comende niet en moght nagedruckt ofte de Plaeten naer gesneden werden noch ten heele noch ten deele ofte elders naergedruckt offte de Figuren naargesneden hier te Lande te mogen verkoopen ofte verhandelen. Soo ist/ dat WY de Zake en 't Versoeck voorss. overgemerckt hebbende / ende genegen wesende ter bede van den Suppl. uyt Onse rechte Wetenschap/ Souveraine Macht en Authoriteyt, den selven Suppl. geconsenteerdt / geaccordeert ende geoctroyeerdt hebben/ consenteren/ accorderen ende octroyeren mitsdesen / dat hy geduyrende den Tydt van vyfftien eerst komende achter een volgende Jaren het voorss. Boeck genaamt CENTURIA PLANTARUM EXOTICARUM binnen den voorss. Onsen Landen alleen sall mogen drucken doen drucken uytgeven en vercoopen/ verbiedende darom allen ende eenen ygelycken het selve Boeck intgeheel ofte deel naar te druck en ofte elders naargedruckt binnen den selven Onsen Lande te brengen/ uyt te geven ofte te vercoopen / op de verbeurte van alle die naergedruckte ingebrachte ofte verkochte Exemplaren, en een boete van drie hondert Guldens daar en boven te verbeüren; te appliceeren een derde Part voor den Officier die de Calange doen sall/ een derde Part voor den Armen der Plaatse daar het casus voorvallen sall/ ende het resterende derde Part voor den Suppl. Alles indien Verstande/ dat WY den Suppl. met desen Onsen Octroye willende gratificeren tot verhoedinge van syne Schaade door het Nadrucken vant voorss. Boeck / daar door in eenigen Deele verstaan den Inhouden van dien te authoriseren offte te advoverën; ende veel minn het selve onder Onse protectie ende Beschermínge / eenigh meerder Credit aansien offte Reputatie te geven. Nemaar den Suppl. in cas daar in yets onbehoorlyckx soude mogen influeren, alle het selve tot synen Laste sall gehouden wesen te verantwoorden; Tot dien eynde wel expresselyck begerende/ dat by aldien hy desen Onsen Octroye / voor het selve Boeck sall willen stellen / daar van geene geabbrevieerde offte gecontraheerde mentie sall mogen maecken / Nemaar gehouden

sall

sal wesen/ het selve Octroy in't geheel en sonder eenige omissie daar voor te drucken offte te doen drucken/ op pœne van het effect van dien te verlies sen. Ende ten eynde den Suppl. desen Onsen Consente ende Octroye moge genieten alß naer behoren/ Lasten WY alle en eenen ygelyck dient aangaen mach/dat sy den Suppl. van den Innehoude van desen doen laten ende gedogen rustelyck/ vredelyck/ ende vollcomentlyck genieten en gebruycken cesserende alle belett ende Wederseggen ter contrarie. Gedaen in den Hage onder Onsen groten Zegele hier an doen hangen/den XII. Januarii int Jaer Ons Heeren en Zalichmakers Duysent seshondert acht en 'tseventig.

A. WASSENAER

Ter Ordonnantie van de STATEN

HERB. van BEAUMONT.

ILLUSTRISSIMO

atque

EXCELLENTISSIMO DOMINO,

DOMINO

HIERONYMO

van BEVERNINGK,

TEILINGÆ TOPARCHÆ; INCLYTÆ CIVITATIS GOUDÆ EXCONSULI; ACADEMIÆ LEIDENSIS CURATORI; TOTIUS BELGII FOEDERATI QVONDAM GAZARUM PRÆFECTO FIDELISSIMO; NUNC IN CONSESSU D. D. ORDINUM GENERALIUM ASSESSORI DIGNISSIMO, SEPTEM LEGATIONIBUS, NON MINUS ARDUIS, QVAM AUSPICATIS, CONSPICUO; NUNC DENUO IN CONVENTU, QVI NOVIOMAGI PACIS LEGIBUS CUM TOTIUS FERE ORBIS EUROPÆI PRINCIPIBUS FACIENDIS INSTITUTUS EST, OCTAVAM SEDULO OBEUNTI.

MÆCENATI SUO
LONGE GRATIOSISSIMO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0011

ILLUSTRISSIME DOMINE,

GRATIOSISSIME MÆCENAS.

SApientissimus Ille totius Universitatis Conditor, sicuti in rebus omnibus à se creatis, non secùs ac benignissimum & munificentissimum Parentem generi humano multifariàm se exhibuit, ita cùmprimis etiam incomprehensibilem ineffabilis Suæ Bonitatis copiam, in Operibus die creationis tertio productis, satis abundèque demonstravit. Quæ Majestati Ejus Divinæ, infinito numero, prudenter adeò & concinnè procreare placuit, ut eorum multitudinem, diversa genera, distinctas species & proprietates, multiplices item virtutes & utilitates, non absque admiratione ingenti, expendentibus, summo cum stupore animi, unà cum Rege & Prophetâ Davide exclamare liceat: QVAM AMPLA SUNT OPERA

PERA TUA, O JEHOVA! QVAM EA OMNIA SAPIENTER FECISTI! QVAM PLENA EST TERRA POSSESSIONE TUA! Atque hoc eò magis, quòd in horum infinito numero, gramen etiam vilissimum, pedibus noſtris obvium, Sapientiam æterni Creatoris imperſcrutabilem manifeſtè oſtendit, & luculentum fert teſtimonium, reverà eſſe Deum, qui illud tàm mirabiliter creaverit, tàm eleganter ornaverit, tàmque ſapienter conſervet, & florere, langueſcere, emori, ac rursùs progerminare faciat. Quin immò quælibet herba & floſculus nos quaſi acclamat, digitumque intendit, ut ſepoſitâ anxiâ & importunâ ſolicitudine, fiduciã noſtram in Deum, omnibus proſpicientem, devolvamus. Quemadmodùm etiam ipſa veritas, SALVATOR noſter, ad Lilia agri, quæ neque fatigantur, neque nent, nec Salomon, Regum licet Opulentiſſimus, cultûs ſui ſplendore illa æquare potuit, nos manu ferè ducit, ut diſcamus ex iis, quantò majorem Supremum Numen curam habeat noſtri, qui

Lilia hodiè quidem virentia, ſed poſtero die in clibanum conjicienda, longè ſuperamus. Prætereà quoque multa Plantarum ac Florum genera, ſubitaneo ſuo interitu, vitæ labentis noſtræ fugacitatem, mortisq; certitudinem; ſuâ per hiemem abſentiâ, noſtrâ vitâ functorum quietem; & ſvavi ſuâ, redeunte vere, propullulatione, certam à mortuis reſurrectionem, nobis ob oculos ponunt; generatim verò pergratâ & amœnâ pulchritudine, ad ſui Creatoris, utpotè, qui ea tàm mirabiliter hunc in finem condiderit, ut per illa honoretur, laudes & gratias fundendas, nos invitant atque alliciunt. Quod ſanè fateri mecum coguntur omnes omninò homines, inprimis verò, qui cortice ſaltem Studii Botanici minùs contenti, medullam illius ſummâ cum oblectatione accuratè rimantur. E cujus certè exercitio, proximè recenſitæ & Divinæ plures aliæ MEDITATIONES, nec contemnendæ in vitâ humanâ conſervandâ UTILITATES, ſummaque animi DELECTATIO & prolubium, petenda & haurienda ſunt.

UTI-

UTILITATES, quas in vitâ humanâ conservandâ præstat, quod concernit, cùm eæ à Sapientissimo Regum Salomone (qui teste Sacro Codice, locutus est de Cedro montis Libani ad Hysopum, quæ egreditur è pariete, & cujus Libri de Naturâ & Facultate Herbarum magno cum dolore ac detrimento posterorum interîere) à Theophrasto, Dioscoride, Plinio, aliisq; quàm plurimis profundæ Eruditionis Viris Plantarum naturam & virtutem explanantibus, non leviter & perfunctoriè, sed solidè & copiosè deductæ sint atque explicatæ, non est quod addam. Neque etiam de summis utilitatibus, quas aut ligna in exstruendis Navibus vasto ac tumultuoso mari fulcantibus, & Palatiis, Urbibus, Pagis ac tuguriis, inhabitationi commodis erigendis; aut Panis è frumento pinsitus & mensæ quotidiè obvius largiuntur, quidquam dicam, quoniam hæc omnia cuivis affatim sunt cognita. Certè, Flores amœnissimi, animum mirum in modum permulcentes, Gramina pergratâ viriditate suâ ocu-

oculos jucundiſſimè paſcentia, Herbæ non ſolùm jumentis pabula præbentes,& quicquid vaſto hoc in Orbe vivit alentes ac ſospitantes, ſed etiam, ceu fulgida & venuſta cum hilaritate micantia ſidera, cœlum, veluti currum penſilem argento obducti clavi,ſummâ cum magnificentiâ & majeſtate ſplendidè ac incomparabiliter ornant; ita tellurem tàm ineffabili pulchritudine, gratâque amœnitate veſtientes & condecorantes; id merentur, ut unicus terræ decor & toga quædam talaris jure dici debeant. Quod à veritate minùs abeſſe exinde fiet manifeſtum, ſi conſideretur, quàm informe, quàm triſte, quàm rude ac vaſtum Chaos hic terrarum Orbis eſſet, ſi pulcherrimâ ſuâ, omnivariis floribus longè artificioſiùs (quàm quod Apellis & omnium qui unquam fuerunt, pictorum penicilla imitari valuerunt) interſtincta & decorâ veſte ac tapete privaretur nudusq; appareret; quâ tamen à Creatore ſuo munificentiſſimo & liberaliſſimo, tàm ornatè tectus, tàm variè pictus, tamq; lautè, veluti opere

re Phrygio baccatus, & tàm ſvavi odore uberrimè imbutus eſt, ut omnium omninò hominum vires & facultates ad exprimendas venuſtates iſtas planè incomparabiles longè multoq; imbecilliores ſint. O quàm amentes igitur omnes illi! qui pulcherrima hæc Dei dona & bona, planè inutilia & vana eſſe in animum inducunt, ſannisque excipiunt, ſi quis eorum exercitio delectetur, aut de iisdem aliquid in publicam lucem producat: quaſi verò Sapientiſſimus rerum Opifex eadem fruſtra creâſſet; qui tamen, cuncta illa bona, immò optima eſſe pronuncians, hominem ad ea cognoſcenda Sapientiâ inſtructum, omnium Dominum conſtituit, ut eorum uſurâ in S.S. Nominis Sui gloriam gauderet & delectaretur. Quæ dona eximia proh dolor! fœdiſſimo Protoplaſtorum lapſu ita perdita & amiſſa, ut quidquid ſcimus & cognoſcimus, ex parte ſaltem & alterum alteri quaſi conſarcinando ſciamus & cognoſcamus.

DELECTATIONEM verò & gratam ſatietatem in Exercitatione Botanicâ

ejusque culturâ exiſtentem, multis verborum ambagibus explicare, planè ſupervacaneum duco. Nam qualis & quanta ſit, inter alios Diocletianus Imperator, qui cum eâ Faſces commutavit & Diadema depoſuit: Cyrus item Lydorum, & Evax Arabum, Reges; quorum Hic ſuâ manu Plantas in libro peculiari delineatas, Theſauri inſtar eximii, Neroni Romanorum Imperatori offerre non dubitavit; Ille autem, cui oblectamentum in Hortorum culturâ adeò ingens fuerat, ut etiam in votis unicè habuerit, quò ſibi vitâ functo in Hortis, arboribus conſitis fertilibus, juſta fierent, abundè & clarè demonſtrârunt. Ex Principum Chriſtianorum numero idem egregiè comprobant Fridericus III. Glorioſiſſimus Imperator, qui in cognitione Stirpium adeò exercitatus fuit, ut Medicorum iſtis temporibus, in hâc arte pauci cum ipſo comparari potuerint; & Maximilianus II. Imperator laudatiſſimus, qui non ſinè ſummo ſtudio & magnis impenſis, varia ſanè Plantarum Exoticarum genera,

nera,Hortis ſuis intulit & coluit,atq;hanc infirmitatis ſuæ recreationem aliis longè antepoſuit: nec non haud ita pridem, Sereniſſimus Dux Aurelianenſis, qui Studio Botanico adeò imbutus, atque expertus fuiſſe certò aſſeritur,ut Principem, poſt Salomonem, in hâc arte oculatiorem, Orbis terrarum nullum tulerit. Taceo, quòd adhuc hodie plurimi Magnates & HeroesInclyti,Hortorum ſuorum multis Plantarum, Florum, Fruticum & Arborum generibus conſitorum ornatu, tanquam per ſpeculum prænitens oblectamenta, ex hoc tam laudabili & Divino exercitio hauſta,dilucidè exprimant atq; ſignificent. Ipſam ILLUSTRISSIMAM VESTRAM EXCELLENTIAM vivum exemplum ſiſto,utpotè,quæ & tùm,cùm ſalutariSuoRegimine,ConfœderatisBelgii Provinciis annos perquàm plurimos non ſinè ſingulari laude Conſiliis pariter ac Factis laudabili ſemper effectu Officia Sua præſtitit,Pacemq;almam,Divinâ favente Gratiâ, cum omnium piorum ac pacis amantium gaudio & oblectatione

sæpissimè procuravit; (quemadmodum id inprimis ex conspicuis atq; arduis Legationibus, Londinensi, Bredanâ, Aquisgranensi, Clivicâ, Colonienſi, &c. quas ILLUSTRISSIMA EXCELLENTIA VESTRA cum inæstimabili Patriæ emolumento ac famâ immortali Nominis, fidelissimè peregit, luculenter patet) & jam quoque resumendo Neomagi Universale illud, quod nuper Coloniæ Agrippinæ non successit, Pacis Negotium, non sinè proprio virium facultatumque dispendio, totius Europæ salutem ac quietem unicè intendit: in laudabili tamen Divinorum Operum Meditatione & exercitatione gratam animi Sui Publicis negotiis delassati oblectationem, suavissimam quietem ac refocillationem quæsivit, atque adhuc quærit. Et sanè quantum sibi ILLUSTRISS. EXCELL. VESTRA in Divinâ hâc Scientiâ experientiam acquisiverit, vel solus ILLUSTRISS. EXCELL. VESTR. Hortus abundè testatur, quippe qui mirabilium ex omnibus Orbis terrarum partibus congestarum

Plan-

Plantarum abundantiâ ita excellit, ut omnium ſpectantium oculis non niſi ingenti cum ſtupore ſeſe luſtrandum exhibeat.

Recenſitæ ſupra tres UTILITATES illæ, Divina nempe & Sacra ad DEI TER OPT. MAX. gloriam animique ſalutem ſpectans MEDITATIO, ſanitati & ſuſtentationi hominis ſerviens UTILITAS; ac ſvaviſſima mentis ſummo cum prolubio DELECTATIO, è Botanicâ exercitatione & Plantarum culturâ emergentes, animi quoque mei inclinationem, quæ mihi velut ingenita à teneris ad rem Plantariam fuit, in dies foverunt, immò auxerunt. Factum eſt inde, ut præter Pietatis exercitium nullibi pleniorem recreationem, quàm in meditatione rerum ad Regnum Vegetabilium pertinentium, reperire potuerim. Ex quâ æterni Numinis Omnipotentiam, Sapientiam, Providentiam, Miſericordiam, Amorem & Munificentiam tàm luculenter mihi, poſtpoſitâ omni terreſtrium rerum curâ, ob oculos poſui, ac ſi cogitationes meas

profundissimâ devotione in Sacris Elogiis mirâ cum jucunditate paviſſem. Hæc omnia mihi quoque anſam dederunt, ut nulli ſudori, operæ ac ſumptui parcerem, quin tàm Indigenas, quàm Exoticas ſtirpes inquirerem atq; colligerem. Hîc verò ſingularē ILLUSTRISS. EXCELL. VESTRÆ affectum in me ſinè merito meo per tot annos uberrimè collatum, reticere non poſſum. Non modò enim gratioſiſſimis me literis benigniſſimè recreare; ſed meam quoque, quâ Stirpes, potiſſimùm Exoticas, notitiam (multa ſcilicet Semina, Bulbos, Plantas, tàm vivas quàm reſiccatas, immò & ipſiſſimis coloribus ad vivum artificioſiſſimè depictas, atque ab extremis etiam novi aliquid ſemper parturientis Africæ oris obtentas, liberaliſſimè mihi communicando) adaugere Summâ animi Benevolentiâ dignata eſt. Quocircà, cùm magno earum numero prima hæc mea ſuperbiat Centuria, placuit eas vel in figurarū apice vel ſub ipſo nomine aſteriſco notare, ut & ſeræ innoteſcat Poſteritati, quàm laudabili ſtu-

ſtudio manuque munificâ ILLUSTRISS. EXCELL. VESTR. Divinorum Operum, hucusque aut parùm aut nihil cognitorum, notitiam, reique Literariæ apud Europæos incrementum promovere intenderit.

Quemadmodum autem omnia in Oceanum, unde Originem traxerunt, flumina relabuntur: ſimiliter ego jure meritoq; hancce Centuriam Exoticarum Plantarũ cum ejusdem Iconibus, in debitæ ſignum reverentiæ & animi grati teſtimonium erga ILLUSTRISS. EXCELL. VESTRAM, à quâ nempe coruſcum ſuum ſplendorem accepit, ſummâ cum humilitate depoſiturus venio. Suscipe igitur, ILLUSTRISSIME atq; EXCELLENTISSIME DOMINE, DOMINE Gratioſiſſime, lucubrationes haſce meas Botanicas, quas ſubmiſsâ cum obſervantiâ in devoti animi teſſeram, gratæq; mentis Symbolum INCLYTO TUO NOMINI inſcribo, mihique porrò benigniſſimo gratiæ Tuæ Favonio adſpira, ut & in poſterum de ulteriori Plantarum notitiâ Te promoven-

te

te acquisitâ, gratulari mihi possim. Vale ILLUSTRISSIME MÆCENAS & ad seram usq; senectam vige sospes, vire salvus, flore incolumis, svavique Botanices Studio TE eousq; recrea, donec tandem annorum vitæque satur, immarcescibilis ILLE ILLUSTRISS. TUÆ ANIMÆ FLOS in cœlestes transferatur Hortos. Dabam ex Museo meo Gedani, Anno M. DC. LXXVII. die XV. Mensis April.

ILLUSTRISS. EXCELL.
TUÆ

devinctissimus atq; humillimus
cliens

JACOBUS BREYNIUS.

PRIVILEGIUM SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS.

LEOPOLDUS *Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis. &c. Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium universis, quòd, cùm nobis* Jacobus Breynius *Gedanensis, Botanicus, humillimè exposuerit, se* Opus Plantar: Exoticar: *iconicè expressarum in* certas Centurias *magno labore & sumptu congessisse, idq; præli beneficio juris Publici propriis suis expẽsis facere decrevisse, vereri autem debere, ne quòd sæpè fieri soleat, alii quoq; lucri alieni captandi causâ eandem editionem suam subdolè imitentur, seq; ita labore juxta ac sumptu frustrentur; demisse proindè supplicando, ut se adversùs ejusmodi molitiones Privilegio nostro Cæsareo munire clementer dignaremur: Nos iisce precibus uti æquitate nitentibus benignum nostrum præbuerimus assensum, ac idcircò omnibus & singulis Bibliopolis, Typographis & Bibliopegis cæterisq; quibuscunq; rem seu negotiationem librariam exercentibus seriò atq; districtè inhibuerimus & vetuerimus, prout per præsentes sub pœnâ decem marcarum auri inhibemus & vetamus, ne eorum quisquã, præter prædictum* Jacobum Breynium, *aut eum cui is inscriptis dederit licentiam, ante fatum Opus intra quindecim annos ab editionis primâ die computandum, intra Sac. Rom. Imperii Regnorumq; ac Dominiorum nostrorum hæreditariorum fines, in simili vel alio typo vel formâ, sive in toto, sive in parte, recudere vel aliò recudendum dare, aut alibi impressum invehere, venundare & clàm, seu palàm distrahere præsumat, si quis autem secus faciendo Privilegium seu interdictum hoc nostrum, quovis*

modo transgredi seu violare conatus fuerit, eum non solùm omnibus exemplaribus perperàm quippe recusis seu apportatis (quæ quidem dictus Impetrans ejusve hæredes sive propriâ authoritate sive Magistratûs ejus loci auxilio, sibi vendicare poterunt) privandum, sed & suprà dictâ decem marcarum auri pœnâ, Fisco nostro Imperiali, & parti læsæ ex æquo pendendâ, omni spe veniæ præcisâ mulctandum decernimus. Dummodò tamen prædictum Opus tenorem hujus nostri Privilegii ad cujusq; notitiam in fronte præimpressum contineat, quatuorq; ejusdem exemplaria, ad Cancellariam nostram Imperialem Aulicam, quàm primùm transmittantur. Mandamus porrò universis nostris & Sac. Imperii Regnorumq; & Dominiorum nostrorum Hæreditariorum Magistratibus, Ecclesiasticis, & Secularibus, cujuscunq; Ordinis, Conditionis & Status fuerint, ne quenquam huic nostro Cæs. Privilegio ullatenus impunè contravenire patiantur, quin potiùs ejusdem transgressores, supradictis pœnis aliisque modis idoneis coërceri curent, quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum testimonio Litterarum manu nostrâ subscriptarum & Sigilli nostri Cæsarei appressione munitarum, quæ dabantur in Civitate nostrâ Viennæ die decimâ nonâ, mensis Maji, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Septuagesimo Septimo, Regnorum nostrorum, Romani decimo nono, Hungariæ vigesimo secundo, Bohemiæ verò vigesimo primo.

LEOPOLDUS.

V. Leopoldus Guillielmus,
Comes in Kinigseggs.

L. S. Cæs.

Ad Mandatum S. Cæs. Maj.
proprium
Christoph Beüer.

NB. Autor, nullum exemplar hujus Centuriæ pro suo agnoscit, quod propriâ suâ (vel suorum Hæredum) manu, in impresso Tituli folio infrà in margine iconis subscriptum non est.

NOMINA ILLUSTRISSIMORUM HEROUM,

& cæterorum

EXCELLENTISSIMORUM

atque

CELEBERRIMORUM

VIRORUM,

qui

CENTURIAM HANC EXOTICARUM PLANTARUM,

Vel Plantis, vel Seminibus, vel relationibus gratioſisſimè communicatis, condecorare dignati ſunt.

* *
*

MICHAEL CASIMIRUS RADZIWILIUS, *S. R. Imp. Princeps, Magni Ducatûs Lithvaniæ Vice-Cancellarius & Exercituum Dux Campeſtris &c. nunc verò S. R. M. Polon. Romam Legatus.*

HIERONYMUS van BEVERNINGK, *Teilingæ Toparcha; Inclytæ Civitatis Goudæ Exconſul; Academiæ Leidenſis Curator; Totius Belgii Fœderati quondam Gazarum Præfectus; nunc in conſeſſu D. D. Ordi-*

Ordinum Generalium Assessor, & ad Tractatûs Pacis, qui jam Noviomagi instituuntur Legatus Plenipotentiarius Fœderatarum Belgii Provinciarum. &c.

Præter EOS Ordine Alphabetico recensentur,

ADOLPHUS VORSTIUS *Doct. p. m. Lugd. Batavorum Medicinæ & Botanices Professor.*

ANDREAS CLEYER *Med. Licent. & Civitatis Bataviæ Novæ in Javâ Insulâ Medicus.*

ANTONIUS CHASTELEYN, *p. m. Amstelodami, Societatis Indicæ Orientalis, Guyanæ & Novi Belgii Curator.*

ARNOLDUS HUYBERTUS *Doctor Medic. Ultrajectensis.*

ARNOLDUS SYEN *Medic. Doctor & ejusdem Facultatis atque Botanices Lugduni Batavorum Professor.*

BENJAMIN ENGELKEN *Civit. Prim. Gedan. Consul, Administrator Portorii Senior, Scholarcha, atq; Bibliothecæ Gymnasii Curator, &c.*

CAROLUS CHIVRY, *p. m. Pharmacopæus Amstelodamensis.*

CAROLUS SWEIKERUS, *Scabinus Gedanensis.*

FRANCISCUS SEVENHUYSEN, *Pharmacop. Hagæ-Comitis.*

JACOBUS GOLIUS *p. m. Lugd. Batav. Matheseos & Lingv. Oriental. Professor.*

JOHANNES BRAYNE *Patruelis, Mercator Amstelodamensis.*

JOHANNES COMMELYN *Senator & Commissarius Amstelodamensis.*

JOHANNES ROETERUS *p. m. Secretarius Amstelodamensis.*

JOHANNES SCHMIEDT *Doctor Medic. Physicus Gedanensis Primarius.*

ISAACUS VOSSIUS, *Philosophus celeberrimus, qui Herbarium Rauwolfii perlustrandum, & nonnulla quædam excerpenda concessit.*

MATTHÆUS SLADUS, *Doctor Medic. Amstelodamensis.*

PAULUS HERMANS *Doctor, Societatis Indicæ Medicus in Ceylan Insulâ Ordinarius.*

THEODORUS GOLIUS *J. V. D. Lugd. Batavorum Ex-Consul, & quondam Prætor; nunc verò ejusdem Civit. nomine ad Collegium Archithalasicum, quod Amstelodami est, Delegatus.*

WILHELMUS ten RHYNE *Doctor, Magni Imperatoris Japoniæ Medicus, Botanicus & Chymicus.*



HONORI *NOBILIS* de FLORIBUS Scribentis AUTORIS.

MAximus in minimis DEUS est, Floresque caduci
SUMMI testantur de Bonitate DEI.
Hi sensus recreant, ægris medicamina præstant,
Et quàm sint rerum cuncta caduca, docent.
SALVATOR MUNDI commendat lilia cam-
Quæ Salomonæis prætulit ipse opibus. (pi,
Hæc benè perpendit scribens de Floribus *Autor*,
Optandum huîc meritò ut floreat & valeat.

A. D. LINDA.

BENJAMINIS ENGELKEN, COS.
Ad
JACOBUM BREYNIUM
AMICUM, REI HERBARIÆ PERITISSIMUM.
ELEGIA.

Fronte ſerenatâ Peregrinas ſuscipe Plantas,
Quas tibi dat BREYNI, Lector amice, manus:
Indefeſſa legens, per diſſita Regna, labore
Herculeo varias. India *teſtis erit;*
Functa Palæſtinæ Syria, *&* Braſilia, Creta,
Africa, *tum* Capitis Spes Bona, Barbaria.
Miſcuit Indigenas feliciter inſuper Herbas,
Quas tenet Europa, *&* Pruſſia læta *ſinu.*
Hoc Præcone brevi Caſſubia Noſtra *patebit,*
Quanta ibi Plantarum copia, ſpreta diu.
Immodicos referam ſumtus? Non. Æra *loquuntur*
Artificis, gnavo pollice ſculpta, ſatis.
Curru vecta ſagax volucrum Medea Draconum:
Hæcne putas etiam tum penetrâſſe loca?
Fallor: At Oſſa ſuas cognoſcit Pelion *Herbas;*
Carmine quas celebres, Naſo *Poëta, tuo.*
Unica res miranda, Senis renovaverit annos
Æſonis, *extemplò quî bene-docta* Socrus!
Et vetus ut gravidus ſtipes ſit factus Olivæ;
Terraque quî tulerit pabula læta ſimul.
Auguror, & nec vana fides, Vegetabile Lulli
G *fuit Herbarum maxima, nota* Sophis.
Hanc, Fato monſtrante viam, Tu montibus altis
Innaſci invenies, candida Phœbe, tuis.
Adde peregrinis peregrinam protinus Herbam:
Porriget, ecce! Herbam *ſola vel iſta* Tibi!

Gedani, *fer. Nund.*
Anno 1676.

HO-

HONORI & MERITIS,
CELEBERRIMI ERUDITISSIMIq;
BOTANOGRAPHI
DN. JACOBI BREYNII,
Cùm
VIRIDARIUM ſuum EXOTICUM
ederet.

PLantarum ignotas facies, viresq; ſtupendum
Naturæ ludentis opus, qui cernere geſtis;
Siſte gradum: Et BREYNI primævos ſuscipe fœtus.
Congeſtas auguſta dabunt Viridaria meſſes;
Et quondam immenſus ſparſim quas protulit orbis,
Parturit unus ager. Fundunt ſua thura Sabæi,
Extremi ſinus orbis, & ultima littora Gangis,
Has ergò telluris opes, dum mente revolvis,
Quisquis es, & variis diſtinctas floribus herbas,
Autorem venerare Deum: nec dicere ceſſes
GRAMINIS HERBA CARO EST; FLOS HORTI, GLORIA MUNDI.

ARNOLDUS SYEN,
Medicinæ & Botanicæ, in Acad. Lugd. Batav. Profeſſor.

IN terris Alii natas propioribus Herbas
Quas Patrium largè gignit alitq́; ſolum,
Pervigili ſtudio, gnavisque exponere curis
Contenti, laudum grande tulêre jubar.
Longiùs ingenio, BREYNI, exſpatiatus, & arte
Splendidius Docto Nomen in Orbe geris.
Extremas adiiſſe oras, plantasq́; remotis
Collectas nitidè propoſuiſſe plagis,
Stirpesque omnigenas, locuples quibus India fulget,
Quas generoſa ſinu divite China fovet,
Artifici populis ſpectandas ſiſtere dextrâ,
Hic labor, hoc ſtudium eſt, VIR Venerande Tuum.
Hoc princeps meritò Tibi nomine gloria ceſſit,
Summi ideò dudum Te coluêre Viri.
Hinc felix patriæ Theophraſtus diceris Urbi,
Inque Gedaneis Nobile Germen agris.
Auſonis Ora ſuos deprædicet undique Cives
Indigenis plaudat Gallia vaſta ſuis:
Nos quoque Godanicis gratamur juſtiùs arvis,
Quæ tanto Herbarum Vindice læta vigent.
Is ſimul & jucunda ſuis, & idonea Vitæ,
Exhibet egregiâ dexteritate Libris.
Omnipotẽs referat cùm quælibet Herbula NUMEN,
DIVINAM hîc celebrat pagina cuncta MANUM.

Amiciſſimo ſuo BREYNIO
deproperabat
J. SCHMIEDT,
Phyſicus Medicus Ged.

Ad

Ad
NOBILISSIMUM
DOMINUM
AUCTOREM,
BOTANICUM EXCELLENTISSIMUM,
FAUTOREM ac AMICUM
Colendisſimum.

QVæ *Stagirites* nobis, quæ civis *Ereſſi*,
Quæq́; *Dioſcorides*, *Matthiolus*q́; dedit;
Alpibus à *cæſis* dictus, vel *monte Tabernæ*,
Quæ dudum egregiis aſseruêre libris;
Gesneri, *ClusI*, *SchenkI* & monumenta *LobelI*,
Et cum *Bauhinis* quæ *Dodonæus* habent;
Horum TE promum, BREYNI, condumque ſaluto:
Nam memori quævis dogmata mente tenes.
Non opus, in pictis ſcrutari Herbaria chartis:
TU loquere; En ſubitò campus & hortus adeſt!
Jam quæ nullus adhuc calamo depinxerat Auctor
Floræ opera, Eois usq́; petita locis,
Subjiciens oculis, Nomen tranſcribis Olympo,
Chironisq́; aſtro proximus eſſe meres.

ſcr.
GEORGIUS SEGERUS,
Phil. & Med. D. Medicus Regius,
Phyſicus Gedanenſis Ordinarius &
Medicinæ atq́; Phyſices Prof. Publ.

In

In

AUTORIS
CLARISSIMI
&
INGENIOSISSIMI
CENTURIAM
PLANTARUM
EXOTICARUM.

* *
*

Qvalis in æthereo Thaumantias emicat Orbe,
Stellatis ſicut flammat rutilatque pyropis
Cœlum; tale ſolum eſt, quod tempore protulit omni
Arte Viros doctâ celebres, Linguâque diſertos.
O nimiùm lætare igitur mea Patria dulcis,
Heroas quæ tot numeras, quos Pallas adorat,
Artibus omnigenis Claros, Miracula Mundi,
Sidera quos poſſis Patriæ, Phœbosque vocare.
Hos inter Sophiæ Gedanenſis maximus Atlas
Keckermannus *erat, Genio Scriptisque per Orbem*
Cognitus; æternum durat per Secula Nomen
Mochingere, *Tuum, quod Svada Minervaque cœlo*
Inſerit, & Patriæ veneratur grata Periclem.
Hebræas, Græcas, Mauras Arabumque loquelas
Eoas adeò linguas benè calluit omnes
Fabricius, *quem peſtiferâ mors falce peremit.*
Maximus Vranies Cultor, Themidisque Sacerdos
Hevelius *Gedani Decus & nova Gloria vivit,*

Flo-

Floreat & vigeat seros in Nestoris annos.
Quid jam non præstat miri (Vegetabile Regnum
Si videas) noster præclarus Breynius? *omni*
Tempore qui junctus fuerat mihi fidus Achates
A puero, studiis herbisque intentus, ut ipso
Vix aliquis par sit, sed nullus major in orbe.
De Plantis Græci scripserunt atque Latini,
Sive Dioscorides, seu Plinius atque Galenus,
Seu quicunque alius Plantarum nomina dixit
Hactenus, Herbarum benè composuitque figuras,
Sunt obscura, gravi nodo plena atque Labore:
Omnia, quæ Libro pulchrè spectanda dedisti
Præsenti monstras veluti sub imagine parvâ;
Anteà quæ nunquam pervastus viderat Orbis
Hic Herbas spectes, quas dives America mittit,
Quas Asia, Æthiopumque ardens, quas Patria profert,
Quas Capiti *fundit* Bona*Spes, *hic cuncta videbis*
Planè exquisitis nitidè depicta figuris,
Quæ certè magno sunt exantlata labore
Pervigili noctis studio, stadioque diei.
Macte Labore Tuo, Divinâque Indole macte!
Perge, ut cœpisti, Plantarum scribere formas,
Ut Famæ & Virtutis amor super æthera summum
Altiùs extollat Te, quamvis deinde sequatur
Livor edax, spargasque Tui monumenta Laboris.
Per Te jam Floræ miracula summa patescant,
Prodeat in Lucem Liber, atrasque exuat umbras,
Nec per Te lateat Plantis Herbisque per agros
Prussiacos natis pictus: se recreet hisce
Patria Plantarum numero fœcunda; nitensque

* Caput Bonæ Spei *intelligitur.*

Ingenium dextramque Tuam venerabimur omni
Tempore penſantes condignâ Laude laborem.
Patria læta Viro tali eſt, Patriâque modernus
Eſt Autor dignus, vivat florensque perennet,
Et ſua perpetuis inſculpat nomina Cedris.

In
Honorem AUTORIS
Amici ſui Veteris & Intimi, Compatrisque dilectiſſimi hæcce
poſuit
CAROLUS SVVEIKERUS,
φιλοβότανος.

JACOBI BREYNII GEDANENSIS. PLANTARUM EXOTICARUM CENTURIA PRIMA.

***

AMYGDALUS ÆTHIOPICA, FRUCTU HOLOSERICO.

Cap. I.

EXtremæ Africæ Promontorium, à Lusitanis, An. M.CCCCXCVIII. dum magnâ cum molestiâ & sumptibus, in Indiam Orientalem per Oceanum primam tentabant navigationem, à spe optimâ, quæ ex amœnissimæ hujus plagæ ac refectionis loci invētione oriebatur, non frustrà se tantum laborem, tamque difficile iter suscepisse, Caput Bonæ Spei dictum: non minùs florum suavissimorū ac herbarum saluberrimarum prædives hortus; quàm leonum terribilium, aliarumq; bestiarum crudelium, infinitâ penè multitudine ibi degentium, sustentaculum: inter arbores ac plantas alias, Orbi nostro nondum cognitas, Amygdalum hanc venustissimam alit, vulgari quidem minorem, è con-

trario autem concinnioribus ramis ac foliis, & fructibus pulchrioribus ornatam; quod ex Icone rami noſtri, & ramo ipſo ante decem circiter annos, ex Promontorio memorato, ad Illuſtriſſimum Excellentiſſimumque Dominum HIERONYMUM à BEVERNINGK, Mæcenatem noſtrum munificentiſſimum (qui eum, unà cum aliis compluribus novis plantis, nobis liberaliſſimè dono miſit) transportato, præclarè patet.

Is ex Virgâ rotundâ, rectâ, digiti minoris craſſitie, pedali, per duorum aut trium digitorum intervalla, geniculis protuberantibus diſtincta, conſtat: cujus Lignum ſubalbidum, haud durum ac ferè inſipidum; Cortice craſſo, obſcurè cinereo, multis punctulis ferrugineis guttato, ac per longitudinem ſubtiliter ſtriato, nonnihilque lanuginoſo obductum. Quodlibet geniculum, Folia ſeptena, coronæ modo, ſummo ordine, Plantarum ſtellatarum more circumdant, viridia, ſurſum ſpectantia, Oleandri figurâ, magnitudine, duritie atque craſſitie perſimillima; pediculis etiam ſemuncialibus & longioribus inhærentia; ſed venulis fibrisque craſſioribus & obliquioribus prædita, ac circum margines ſerrata. In ſecundo & tertio verò geniculorum inferiorum, ſupra foliorum exortum, Styli ſex videntur craſſi, lignei, ex fuſco cinerei & incani, duas aut tres uncias longi; qui circum virgam ſtellarum formâ in orbem aguntur. Hi mirum in modum Fructibus multis, petiolos breves, craſſos & lignoſos habentibus, ornati, verſùs pediculum anguſtioribus, in medio craſſioribus, tumidis & ventrioſis, anteriùs nonnihil reflexis, aut in recurvum ſimilemque

lemque papillis apicem exeuntibus, cernuntur; cæterùm fructus illi cum Amygdalis Europæis formâ ſunt pari, quibus magnitudine quidē nonnihil cedunt, ſed venuſtate maximè antecellunt, ob pulcherrimum, denſis villis ſubtiliſſimis ſericeum, ex rubeo colore ad Cinnamomi vergentem pulvinatum Callum: quò adeò ſcitè ab artificioſâ rerum Magiſtrâ Naturâ ſunt veſtiti, ut tactu non ſolùm tàm lenes ac molles, ſed aſpectu etiam & ſplendore tàm æquales holoſerico villoſo, ut nec præſtantiſſimi Confectoris Holoſericorum manus elaborare illos elegantiores poſſet. Sub pulvinato hoc mirabili callo Oſſiculum latet, non nimis duro inſtructum putamine, Nucleum mediocrem continens, cujus ſaporem coloremq́; , quippe ſitu obducti, obſervare accuratè non licuit. Refert autem nonnemo, qui in Promontorio Bonæ Spei annum penè exegit, Nucleum, quâ colorem ſaporemq́;, cum vulgari convenire. Quamvis ego de ſapore dubitem, poſtquam de amaro quodam Amygdalo iisdem in locis enato, nonnihil percepi.

ARBOR RACEMOSA BRASILIANA, FOLIIS MALABATHRI.

Cap. II.

BRaſilia, Orbis Novi ante CLXXXV. annos detecti, Provincia auſtralis, non ſolùm propter mitem Cœli, ſanitati humanæ maximè

FOLIA ARBORIS RACEMOSÆ BRASILIANÆ, FOLIIS MALABATHRI.



ſalutarem temperiem, atque alias humanæ indigentiæ ſubvenientes commoditates; ſed etiam ob varios, quibus beata eſt, fructus præſtantiſſimos, immò & propter ſalutiferas ac mirabiles plantas, quas tantâ terræ gremium, tamque largâ copiâ effundit, ut inde addubitent nonnulli, an ulla etiam mundi habitati regio huic præferenda ſit; terreſtris quidam Americæ Paradiſus multis eſt habita.

Non parum ornamenti capit ab Arbore, non quidem valdè magnâ & excelsâ; ſed foliorum gratiâ commendabili. Quæ Arboris Canellæ mediocris ferè formâ, iisdemque concinnâ ſerie poſitis Ramis ſe effert, quorum minores denſo tomento obſiti, candidi ac lanuginoſi & partim brevioribus, partim longioribus articulorum diſtantiis intercepti. Ex quibus Folia bina, adverſa, contrarioq; ortu, ſerie quâdam cruciformi diſpoſita, pediculis uncialibus inhærentia, exeunt, Folio Malabathro Officinarum valdè æmula, niſi quòd latiora, & parte pronâ, ſicut pediculi, lanuginoſa & alba; ſupinâ verò atro virore ſplendentia cernuntur: ſiccata autem eo, quò virebant, latere, fiunt nigerrima, inſtar atramenti ſcriptorii; inde mira admodùm, nec alia apparent, quàm ſi ex corio Hiſpanico confecta eſſent. Per uniuscujusque Folii longitudinem grandes ac â tergo magis conſpicuæ transeunt coſtæ quinque; quarum maxima, medium folii transcurrens, recta; reliquæ autem omnes arcuum modo inflexæ; inter quas venæ minores, rectæ, veluti parallelæ, per latitudinem nonnihil ſurſùm tendentes, & ex his fibræ obliquæ innumerabiles partim per latitudi-

nem, maximè verò per longitudinem, pulcherrimo ſpectaculo discurſitantes, apparent. Ex ramulorum apicibus, Racemus ſuam petit originem, pulcher, palmaris aut dimidiò major, ex pediculo, internodiis ſemuncialibus diſtincto, & ramulis directè ſibi oppoſitis, confectus; cujus ramuli præſertim inferiores, in minores iterum diviſi, qui, ut & reliqui, plurimis utrinq; Granulis orbiculatis, à Lunariæ racemoſæ non abhorrentibus, aliquantulùm modò majoribus, nec viridibus, ſed ex albo ad ferrugineum nonnihil tendentibus, onuſti. Hic Racemus, quoniam planèlanuginoſus, æquè ac arboris ramuſculi, cum pronâ foliorum parte, ad tactum tàm mollis eſt, quàm optimus ex Britanniâ pannus. An verò Flores & Fructus ex Botri granulis prodeant, aut an ita ſaltem permaneant, ac Semen pulvereum more Lunariæ proferant, enucleare haud potui, quotquot etiam illorum diſſecui & exanimavi. Curioſorum ſit judicium, in quantum hæc Arbor cum *Muiva* Braſilianorum conveniat. Nam propter foliorum ſimilitudinem penè adducor, ut eandem eſſe credam, niſi botri parerent dubium. Quoniam in Iconibus ramus noſter debitam foliorum magnitudinem non exhibet, maximum illorum ad vivum expreſſum ex abundanti hîc adjeci. A, candidam, lanuginoſam, pronamque partem: B, ſupinam, viridem, lævem indicat.

ARBOR

ARBOR RACEMOSA BRASILIANA, FOLIIS APOCYNI.

Cap. III.

NEque hæc Arborum Brasilianarum est vilissima, à Marcgravio quidem in Historiâ Plantarum Libro III. Capite XVIII. p. 134. absque nomine descripta, & Icone minùs aptè delineata; quæ errore Typographico in Historiam Naturalem Indiæ Occidentalis præcellentissimam, Domini Doctoris Pisonis Lib. IV. Cap. XXII. p. 158. pro Cassiâ *Tapyracoaynana* Brasilianorum, cum additis ejusdem siliquis, irrepsit. Qui error, etiam alios errores progeneravit; ut ex Jonstoni Dendrographiâ Tabulâ CII. & Erasmi Franciſci **Oſt- und Weſt-Indiſcher Luſt- und Stats-Garten** / Tabulâ XXV. numero 2. ubi nimirum pro Cassiâ Brasilianâ repræsentata, satis superque elucet. Hinc ad obstruendam pluribus erroribus viam, hanc Arborem innominatam Marcgravii, nonnihil fusiùs describendam, depingendamque veriùs, sub nomine Arboris racemosæ Brasilianæ, foliis Apocyni, non incommodum judicavi.

Arbor namque est Pruni altitudinem assequens, Ramis peramœnis umbram jucundã spargentibus; sed quodammodo deorsum inflexis. Quibus Folia gemina in acutum terminantia, directè sibi invicem opposita, brevibus pediculis appendent; magnitudine & figurâ Apocyni secundi

cundi Clusii, duriora & rigidiora, superiùs lævia & hilari virore micantia, inferiùs propter densos & subtilissimos pilos molliuscula instar serici, atque ex cinereo argenteoq; colore splendentia; nervo conspicuo per longitudinem & compluribus venis in latitudine prædita. Ramorum fastigia, inter folia, Flores, in peculiari pediculo triunciali, brevissimis petiolis, more Berberis, numerosos & densos dependentes, racematim sustinent, è quaternis vel quinis foliolis flavis congestos; multis in umbilici ambitu staminulis pallidis & subtilibus præditos. Quos Baccæ tandem excipiunt rotundæ, Ribesii magnitudine; sed lutei coloris, quantùm ex siccis observare licuit. Materies est alba & lenta, salicis ligno similis: Cortex cinereus.

FRUTEX INDICUS BACCIFER, VITIS IDÆÆ SECUNDÆ CLUSII FOLIIS.

Cap. IV.

NAscitur in Indiâ Orientali, ubi ab Indigenis (ut audivi) *Caju manis* appellatur.

Frutex videtur arboreus, pluribus tenuibus ramis diffusus. De quo à Patruele meo Johanne Breynio, Mercatore Amstelodamensi, Ramos duos non inelegantes sesquipedales, foliis, floribus, fructibusque onustos, consecutus sum. Qui lignei, teretes, tenues & læves, utrinque ramulis inæquali ortu, plùs palmaribus, instar Filicis

cis plani alati. In quibus pariter, alternatim, tàm planâ dispositione, ab imo usque ad summum Folia multa, rotunda, Vitis Idææ secundæ Clusii æmula, solidiora, pronâ parte albida, supinâ viridia, se sistunt. Ex foliorum singulorum sede, vel Flosculus exiguus, muscosus, Cassiæ Monspelliensium non absimilis; vel Bacca jam eminet rotunda, nigricans, Piperis magnitudine, pythmine parvo, sex Granulis triangularibus referta.

Quoniam superiùs nominis Indici *Caju manis* mentionem fecimus, illud breviter monendum duxi, quod *Cayu manis* teste Daper in Asiagraphiâ; vel *Cais manis*, ut Garzias apud Clusium vult, linguâ Malajâ, dulce lignum sonet, & ab iisdem Malajis Cinnamomo nuperorum tribuatur. De quo consulatur Garzias ab Horto Libro primo, Capite XV.

FRUTEX ÆTHIOPICUS BACCIFER, FOLIIS MYRTILLI.

Cap. V.

SOlitudinum incola non procùl à Promontorio Bonæ Spei, ubi duæ se species prodũt: quæ baccas nigras, avibus maximè expetitas, gerere dicuntur Frutices.

Prior, cujus iconem illustramus, lignum habens durum & album, cortice è gryseo rufescente obductum, in multos dispescitur ramos, & hi, in plurimos densè constipatos ramulos; quos

nullâ ſerie digeſta, ſed confuſa Folia, brevibus pediculis inſidentia, per ambitum leniter ſerrata, viridia; ſupernè ſplendentia, infernè nequaquā, Vitis Idææ anguloſæ Johannis Bauhini, ſive Myrtilli Matthiolo foliis paria, niſi quòd craſſiora & ſolidiora, ambiunt.

Alter à priore in eo potisſimùm differt, quòd denſioribus ramis, ac minoribus, anguſtioribus & oblongioribus foliolis præditus eſt.

THYMELÆA ÆTHIOPICA PASSERINÆ FOLIIS, ET ARBOR CAMPHORIFERA JAPONICA.

Cap. VI.

ET hic Promontorii Bonæ Spei Frutex: de quo Ramus dodrantalis (cum Fruticum bacciferorum Æthiopicorũ ramis) ILLUSTRISSIMO DOMINO à BEVERNINGK ex Africâ allatus. Is tenuis, in ramulos duos alios diductus; quorum ſinguli rurſus, in virgulas tres aut quatuor rectas, dividuntur: Lignum hujus niveum, cortice obductum rubicundo, qui in candidisſimam lanuginem ſericeam, corticis inſtar Sanamundæ Cluſii, discerpi poteſt; æquè ac Folia vix ſemuncialia, anguſta, craſſiuſcula atque acuminata, Paſſerinæ quodammodò æmula, guſtu initiò pauliſper adſtringente; ſed aliquantũ manſa mucilaginem abundè reddentia. His Foliolis ad extremitatem usque, densè & undique ſtipatæ

ſunt

sunt virgulæ, ubi tandem circinatò congesta, acuminibus sursum tendentibus, illas concludunt, & ex centro suo surculos duos aut tres perbreves, tenuesque emittunt; quorum singuli pariter superiore parte, minutioribus quibusdam foliolis, coronati: è foliorum medio, Flosculi tres aut quatuor, pallidi, in lacinias quatuor per extremum disecti, Thymelææ similes emergunt, in imâ parte, velut album, tomentosum, calyculum ostendentes.

ARBOR CAMPHORIFERA JAPONICA.

QUamvis hoc caput Thymelææ Æthiopicæ sit dicatum; attamen in eodem Arboris camphoriferæ Japonicæ (licet minimè hujus sit loci) inferemus mentionem; quoniam Arboris hujus ramo mihi tradito, cùm, bonâ primæ Centuriæ parte typis jã expressâ, hoc caput recudendum esset, commodior occasio non dabatur.

Arbor verò hæc, exuberante copiâ, in *Satsumâ* Japoniæ Provinciâ, Tiliarum nostrarum instar, speciosâ proceritate, adolescit: materie firmâ, põderosâ, ex rufo subfuscâ, multis fuscis segmentis, ligni instar Juglandis fermè scarificata; saporis amariusculi & aromatici, odoris vehementioris, nescio quid ad Juniperi lignum vergentis; quæ non solùm cistis aliisque machinis, sed exstruendis etiam Palatiis, in illo Regno inservit. De hac Arbore, Ramũ *Excellentissimus Dominus Doctor Wilhelmus ten Rhyne Magni Imperatoris Japoniæ Medicus, Botanicus & Chymicus* Anno cIↃ. IↃc. LXXIV.

RAMUS ARBORIS CAMPHORIFERÆ JAPONICÆ.



ex Japoniâ transmiſit, qui ſpithamæ circiter longitudinis, tenuis, rotundus, lævis, extrinſecùs nigricans, intùs albidus, ſapore aromatico, ad Camphoræ accedente. Huic alternatim inæquali ſerie ſeptena adnata ſunt Folia, ſemunciali & tenui pediculo ex fuſco, ſpadiceo prædita, Lauri Leodinenſis Batavorum, quâ formam & magnitudinem non diſſimilia, niſi quòd magis plerumque acuminata, inferiore parte albidiora, ſubſtantiâ tenuiore, cum Juglandis foliorum meliùs conveniente: per cujusvis folii medium ſubrufus vel flaveſcens nervus porrigitur; ex quo alterno ordine, nonnullæ ejusdem quidem coloris, ſed magis ad viridem tendentes venæ conſpicuæ ſurſum in latitudine ſparguntur; inter quas venulæ rurſus quædam teneræ, latitudinem folii transeuntes, eâ quodammodò (ſi accuratè obſerves) formâ, quâ lineæ transverſæ in folio Arboris canelliferæ, apparent. Hæc verò folia contrita, odorem ſpirant aromaticum; quemadmodum etiam ſaporem calefacientem, attenuantem & ad Camphoræ vergentem. Et tantùm de Arbore camphoriferâ Japonicâ.

Nunc etiam paucis *Camphoram* ipſam animo luſtrabimus, cui præclarâ eruditione ac doctrinâ ornati nonnulli, pro Bitumine habitæ frigidam naturam tribuerunt; cùm Reſina ſit, calidæque & ſiccæ qualitatis; ut clarè ex ſapore acri, odore maximè penetrante, ſubſtantiâ oleaginosâ, facilique flammæ propter partes ſulphureas conceptione patet. Et quamvis multis in affectibus, ut in oculorum inflammationibus, eryſipelate, æſtu febrili, atque aliis refrigerantem poteſtatem obti-

neat; ſicut ipſius etiam uſu, calor naturalis ſæpiùs diſſipatur: attamen hoc non per ſe; ſed per accidens ſolùm evenit; ac eô ferè modo, quo per ignis calorem, candelæq; flammam, aduſti membri inflammatio extrahitur; vel ut immoderato Piperis uſu, calor nativus foràs pellitur, intusque debilitatur, eâque ratione corporis temperies in frigidam mutatur: cùm tamen, eam ob cauſam, ignis non frigidum elementum; nec fervidum Piper, fructus frigidus, cenſenda: niſi ſolùmmodo illud reſpicere velis, quod tandem per eadem effici poſſet; ſicq; nix & glacies non frigida, ſed calida exiſtimanda; ſiquidem creberrimâ ipſorũ tractatione manus inflammari deprehenduntur.

Vires porrò *Camphoræ* perpendendo, omninò ſtatuitur, eandem hominis naturam exſiccare ac generationem humani generis prorsùs impedire poſſe: ubi obſervatu dignum, plurimos Camphoram quotidie purificantes, tamen fœcundos & multâ atq; copiosâ ſobole felices exiſtere; nec ſcio an multa in medium exempla adduci queant, Camphoræ purificandæ operam navantes conqueſtos, ſe propter tractationem Camphoræ in opere conjugali impedimentum atque remoram aliquam ſenſiſſe. Et quanquam non negandum, quosdam dari, quorum vis naturæ, Camphorâ penitùs exſtincta, (veluti Piperis nimio uſu, calor naturalis diſſipatur, ſicut jam ſuprà dictum) tamẽ non neminem novi, qui contra Veneris irritamenta hâc Reſinâ uſus, queri ſolitus, ſe multò magis eâ ad talia opera incitatum. Verùm naturæ ſunt diverſæ; neq; falcem ulteriùs in alienam meſſem immittere eſt animus, qui hanc materiam evol-

evolvendam atque pertractandam Medicis, quibus data est à lege auctoritas, virium facere vegetabilium periculum, relinquo.

Originem verò *Camphoræ* quod concernit, modumque illius conficiendi, hâc de re jam in *Miscellaneis Germanorum Curiosis anni quarti* actum est; sed ut eò magis Lectoris benevoli voto fiat satis, ex re censuimus ipsa verba, ab *Excellentissimo Domino Arnoldo Syen, Profess. Medic. & Botan. Leidense* nobis communicata, hîc loci iterare, quæ hujus sunt tenoris: De *Camphora* mihi relata sunt ab *Amplissimo Domino de Buchil-*„ *jon*, qui nomine Societatis per plurimos annos „ Præfecturam in Japoniâ gesit. Testatur nem-„ pè arbores quæ Camphoram præbent, proce-„ ras esse, nostrarum Tiliarum instar & non absi-„ mili folio, & quamvis etiam alibi in Japoniâ „ nascantur, copiosissimas tamen inveniri in pro-„ vinciâ *Satsumâ* dictâ: Arbore autem cœsâ ra-„ dices effodi, minutim concidi & in lebetem „ aheneum conjici, tum aquam eâ quantitate su-„ peraffundi, ut radices modicè obtegat: Lebe-„ ti autem imponi pileum vel operculum stra-„ mineum, in acutum fastigiatum, moxq; ignem „ admoveri modicum, cujus ope partes radicis „ volatiles separantur, adscendunt, & dicto pi-„ leo crystallorum instar adhæresçunt, qui vicis-„ sim aufertur, mundatur, rursusq; superimponi-„ tur, tantamq; dictarum arborum esse copiam, ut „ omnem superet exspectationem. Accuratiùs „ autem hæc & singulatim mihi se narraturũ Am-„ plisimus Vir promisit, cum plurimis aliis huic „ scopo

„ſcopo inſervientibus, ut & hiſtoriam *Camphoræ de*
„*Borneo*, quæ toto cœlo ab hac differt.

Hinc ſatis ſuperq́; elucet, *Camphoram* non Bitumen, ſed Reſinam eſſe; non ſolùm è camphoriferâ Japonicâ, ſed ex aliis quoq́; arboribus proveniens, quod etiam à *Domino Doctore Matthæo Slado*, poſtquam Obſervationem de Arbore camphoriferâ Collegio Curioſorum obtuli, indicatum in Tractatu, cujus Titulus; *Recherches & Obſervations, Naturelles par Monſ: Boccone* hiſce verbis: Ca-
„phura de Borneo, quæ melioris notæ, & rarior
„eſt quàm Japonica, ea in Borneo Inſulâ, ab Ar-
„bore, ibi *Liono*, dictâ, profertur, quæ arbor mi-
„nor, graciliorque eſt Japonicâ (quæ interdum
„vaſtam Quercum æquat) ejusq́; trunci diame-
„ter, ſeptem, præter propter, digitorum longitu-
„dinem obtinet; ipſa fungoſa eſt, medullæ ſam-
„buci non valdè abſimilis; truncus ſicuti Arun-
„do variis nodis diſtinguitur, illamq́; Arborem,
„quæ *Pynak* dicitur, æmulatur. Huic *Liono* ar-
„bori tunc temporis cum Caphura abundare, &
„quaſi turgere, ὀργᾶν Græci eleganter dicunt, nô-
„runt (*Typothetam hîc aliquid omiſiſſe exiſtimo*) ſub
„ortum ſolis aurem applicant, & notatu dignum
„ſtrepitum percipiunt, deinde ipſam amputatam
„in partes diſſecant, quas findunt, ſolique, ut ſic-
„centur, exponunt, ſiccatas in particulas commi-
„nuunt, & Caphuræ fruſtula eximunt, cribroq́;
„à ſordibus purgant; ſi majuſcula fruſtula offen-
„derint, iis oculos leniter, & leviter confricare
„ſolent. Hæc autem Caphura plurimùm à Ja-
„ponicâ diſtat, pretioque illam nimium quan-
„tum ſuperat, magisque clara, & perſpicua eſt,

nec

nec ullo modo, ut Japonica ſpontè evaneſcit,, & conſumitur.

Cæterum *Camphoram* quoq; præſtantisſimam Arboris canelliferæ Zeilanicæ radices præbent, quod priùs mihi, quàm ullam mentionem ejus rei quisquam faceret, ante multos jam annos ab Illuſtrisſimis & Curioſis quibusdam Viris detectum, quemadmodum id clariùs in *Miſcellaneis Curioſis anni quarti* deductum eſt. Poſtmodum *Dominus Doctor Paulus Hermanus*, ex Zeilan Inſula, ILLUSTRISSIMO ac GENEROSISSIMO DOMINO à BEVERNINGK, & *Excellentisſimo Domino Profeſſori Syen*, Camphoram Corticis radicum Arboris Cinnamomi per calcem ſublimatam; Camphoram crudam, ſeu Sal volatile corticum radicis Arboris cinnamomi crudum; Camphoram Corticis radicum Arboris cinnamomi per ſe ſublimatam; cum Oleo ex Corticibus radicum Arboris Cinnamomi, & Aqua ex foliis Cinnamomi, transmiſit: Quæ cuncta in Encomium indefeſſæ ſedulitatis *Excellentisſimi Domini Doctoris Hermani*, ac in certiorem confirmationem, quòd nimirum Arbor canellifera etiam Camphoram optimam offerat, hîc memorare placuit. Atque ita Benevolo Lectori juxta promiſſum in *Miſcellaneis Curioſis*, plura de Arbore Camphoriferâ ejusque Reſinâ vel ſi mavis Sale volatili exhibeo, boni conſulat amicè rogans, donec clariora experiar, quæ itidem ſilentio haud premere, ſed lubens detegere annitar.

SANAMUNDÆ TERTIÆ CLUSII AFFINIS FOLIIS 'POLII, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. VII.

SI fructus & Semen, nunquam mihi visa, concederent, Fruticem hunc lignosum, Rosmarini facie crescentem, nomine Sanamundæ Æthiopicæ foliis Polii donarem: Cujus rami albâ lanugine circumdati; & Foliis viridibus, subtùs autem candidis & lanuginosis, conferti, Polii Lavandulæ folio *Caspari Bauhini* perbellè referentibus, quibus verò magnitudine, non autem crasitie cedant. Ex ramorum lateribus, nonnunquam aliquot; sed circa illorum fastigia, Surculi multi, instar Chrysocomes Columnæ in umbellam inordinatam dispositi, unciales & biunciales, foliis minutioribus donati enascuntur; quorum quilibet plerumque unum (rarò duo) Pisi magnitudine, circa basin parvis angustisq; foliolis cinctum, fert Capitulum, ex duodecim, tredecim, vel pluribus, Sanamundæ tertiæ Clusii planè convenientibus tubulis, aut Flosculis, compositum; qui extrinsecùs planè albidi & tomentosi, in quatuor aut quinque foliola per extremum subtiliter divisi, atque inferiùs circa pedunculos, squamulis nonnullis minutissimis, ferruginei coloris, præditi. Tenues foliorum appendiculæ, in icone nimis rigidæ sunt sculptæ.

Hìc in gratiam Rei Herbariæ dediti Lectoris, Sanamundæ tertiæ Clusii figuram apposui, ut

RAMUS SANAMUNDÆ TERTIÆ CLUSII, ONUSTUS FLOSCULIS.



ut illius flores eò meliùs cum Æthiopicæ noſtræ floribus, conferre queat: in eadem etiam intueri licebit ramuſculũ Sanamundæ primæ Cluſii cum fructibus, qui hunc ſuffruticem rectiùs Vermicularibus marinis, quàm Thymelææ ſpeciebus accenſendum indicant.

ARBOR KAUKI INDORUM.

Cap. VIII.

KAuki Indorum, ob florum fragrantiam, à Javanis, apud quos oritur, valdè æſtimata; Tiliæ ferè ſpeciosâ magnitudine & formâ, Arbor eſt patula ramis diffuſa, cujus juniores ramuli, cortice lævi ex albido ac incano ſunt obducti. Foliis ornatur Pyri foliorum faciei, ex circinato nempè oblongis ſeu ovalis figuræ, trium ac interdum quatuor unciarum longitudine, latitudine duarum rarò triumve, nervum craſſum per longitudinem, & venas transverſas habentibus; at conſiſtentiâ duriore ac firmiore, brevioribusq; pediculis inſidentibus. Ex foliorum alis & ramulorum apicibus, Floſculi oriuntur orbicularis ferè formæ, parvi, piſi majoris magnitudine, duo, tres, quatuor, pluresve juxta ſe petiolis brevibus lanuginoſis inſidentes ſimul poſiti: quorum quilibet, ex multis petalis anguſtis & parvis, è rubello albicantibus, congeſtus; & calyculo foliolis octo, acuminatis, lanuginoſisq; alternatim poſitis, conſtructo, penitùs ferè cir-

rè circumvallatus. Vilem horum floſculorum formam, benigna illa mater Natura è contrario, veluti gratiam ſuam in aliis declaratura, ſvaviſſimo odore compenſavit. Hinc Inſulæ Javæ indigenæ hos filis, aut quorundam foliorum nervis, cum *Mogori* & *Tſiampaca* floribus trajectos, in Urbis Bataviæ foro venales exponunt. Aqua etiam ex iis odorata & cordialis elicitur, ejusdem penè illis, cujus nobis roſarum uſus.

FRUTEX ÆTHIOPICUS CONIFER, FOLIIS CNEORI, SALICI ÆMULUS.

Cap. IX.

FRuticem Æthiopicum arboreſcentem, Capitis Bonæ Spei inquilinum, hîc propono. Is ramoſus valdè, ligno duro, ſubalbido; cortice è gryſeo rufeſcente; Foliis frequentiſſimis, craſſis, duris, Cneori ſimilibus; quæ in ſurculis paulò minora, quò autem magis ſuperiora versùs tendunt, eò majora latioraq; (quod à Cælatore ærario haud obſervatum) ſpectantur, donec ſurculorum tandem faſtigia coronando finiunt; inque ſuo meditullio, pariter ac inter ſurculorum divaricationes, Globulum lanuginoſum & penitùs niveum, Salicis capreæ Tabernæmontani catulo ſimilem, ſed minorem, & tuberculis ſubtiliſſimis, ſtrobuli inſtar immaturi de Pinaſtro exaſperatum, continet: è quo ſuccreſcente, Floſculi muſcoſi, Salicis quodammodò

ſimiles, ſtaminulis pallidis conſtantes, erumpunt. His deciduis Globus ille, in Conum fuſcum, uncialem & majorem, ſquamis in extremitate ſuâ albidis & lanuginoſis, evadit.

Reperitur quoq; Fruticis hujus coniferi ſpecies major, Foliis majoribus, cujus Fructus in icone ſeorſim ſculptus. De quâ mihi Anno M. DC. LXIV. ramus ſiccus à *Domino Doctore Huyberto* & Anno M. DC. LXX. alius à *Domino Doctore Matthæo Slado* communicatus.

ILLUSTRISSIMUS etiam DOMINUS à BEVERNINGK antè tredecim annos ramo ex Africâ, mediam inter hunc & illum deſcriptum faciem obtinente potitus: qui mihi, niſi varietas ſubſit ratione loci, Naturæ luſus videtur.

CUPRESSO-PINULUS CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. X.

CUpreſſo-pinulum Arborem quandam voco Africanam, ſemper virentem, & ut mihi relatum pumilam. De quâ rami aliquot perelegantes ILLUSTRISSIMO DOMINO à BEVERNINGK Anno M. DC. LXIII. ex Africâ miſſi, ob raritatem & peregrinam formâ, Botanicis omnibus, quibus viſi, curioſis, gratiſſimi. Qui Virgæ ſunt, pedales circiter, rotundæ, pennæ craſſitiem ſcriptoriæ penè attingentes; ligno ſubalbido; cortice rufeſcente ex cinereo

nereo tectæ, foliolisque anguſtisſimis, triangularibus ac mucronatis, Cupreſſi inſtar ramulorum, ſquamatæ. His verò Virgis, ramuli undique, duas tresve uncias longi, graciles valdeque flexibiles adnati; qui foliolis Ericæ vulgaris perſimilibus, decuſſatim poſitis, densè veſtiuntur. Quilibet ramulorum ſuperiorum, Strobilo (modò uno, modò pluribus) exiguo, orbiculari, lanuginoſo & albo, juxta ramulum planiuſculo foliolisq; firmiter adhærentibus ſubtilisſimè ſcandulato, onuſtus; formâ & magnitudine Fragorum, ſquamulis autem innumeris, intùs villoſis ac argenteo nitore ſplendentibus, in anteriore parte foliolum viride monſtrantibus, arctisſimê compacto: cujus ſquamæ, ut autumo, proceſſu temporis dilatantur. Lignum & cortex rami mei ſaporem ſalſum (ex aquæ marinæ fortaſſis aſperſione) & nonnihil adſtringentem; ſed foliola cum ramulis ingratum, ſubaſtringentem, cum tantillo amarore præbent.

CHAMÆLARIX, SIVE CHENOPODA MONOMOTAPENSIS.

Cap. XI.

ALunt etiam juxta Bonæ Spei Promontorium deſerta Fruticem echinatum quendam, frequentisſimis ramis undique piloſis divaricatum: qui per interſtitia brevia, invicem ambiuntur, à viridibus, Laricis in modum in acervos

cervos congestis Foliolis, semunciam vix attingentibus, angustis, pilosis, pallido anteriùs aculeo, & nervo per medium crasso dotatis. Fert in ramis & ramulis, inter furculorum divaricationes, Globum álbum, hirsutum valdè sive villosum, Cerasi magnitudine, ex foliolis compluribus, iis, qui ramulos vestiunt, multò hirsutioribus, & arcuum modo inflexis, contextum: in quo, inter foliola, flores flavi enasci dicuntur.

Si fructus & semen cum Echino Alpini cõvenirent, Echini nomen huic inderetur Frutici, eò aptiùs, cùm folia & globi, forma Echini animalis, in orbem congesti se præsentent.

FRUTEX CINERACEUS MUSCOSUS, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XII.

FRutex arboresçens hìc, admodum rarus, & mirificè, quasi cineribus consperſus; lignum obtinet álbum: ramos frequentisimos, rigidos & variè divaricatos; cortice tomentoso, cinereo, penitùs circumtectos; minutisque tenuibus, brevibus, tomentosis ac cinereis, coacervatis, Foliolis muscosis, ornatos. Quæ in ramis rariora, majora, & eâ fermè formâ, ut flores in Cannabis luteæ sterilis *Contareni* stolonum summitatibus, stellularum in modum; in ramulis verò densiora, minora, magisque crispula, penè instar Abrotoni fæminæ foliolorum collocata sunt.

ERI-

ERICA CORIS FOLIO HISPIDO, CERINTHOIDES AFRICANA.

Cap. XIII.

EX Ericis quæ juxta Promontorium Bonæ Spei reperiuntur, quandam jam olim obtinui ſpeciem, quæ ob ſingularem ſuam elegantiam, quâ inter omnes ſibi congeneres eminet, Regina earum habenda. Quod ex icone etiam noſtrâ, ad ramum pedalem exſculptâ, facilè colligendum. Lignoſus ille, durus, cortice ex ſubrufo gryſeo, & reticulato tectus: quem ex omni parte, temerè & ſine certo ordine, multa ambiunt Folia viridantia, craſſa, nervo per longitudinem excurrente, Ericæ bacciferæ Matthioli magnitudine & formâ congruentia; niſi in ambitu, pilis quibusdam rigidis, veluti ſpinulis, exaſperata eſſent. Flores, Cerinthæ floribus æmuli, in rami apice, brevibus pediculis, deni & duodeni in orbem conferti, ex rubeo colore lepidè purpuraſcentes, hirſuti, fiſtuloſi, ventrioſique, in quatuor lacinias parvas, ora diviſa habentes; & ex totidem foliolis hirſutis acuminatisque, quaſi ex calyculo provenientes, admodùm magnificè ſe oſtentant: in quorum alvo, ſtamina quædam, apicibus parvis prædita, cum ſtylo longiore occultantur.

ARBOR SILIQUOSA BRASILIANA, SILIQUA HISPIDA FERRUGINEA CERATONIÆ FACIE.

Cap. XIV.

DOlendum sanè, tot Clarissimorum Virorum labores, quos ingenti molestiâ & periculo, plantas in Regionibus exoticis conquisituri, susceperunt, iconibus plerumque nihil, aut parùm utilibus, & descriptionibus nimis sæpe succinctis, in lucem edi: cùm exoticæ, inprimis rarò parabiles, ac ægrè nostro sub cœlo vernantes plantæ, diligentiùs, quàm vulgares describendæ, & iconibus accuratioribus sint illustrandæ: quòd tamen plerumque propter oleum ac operam quam requirunt, non sinè gravissimis Botanicorum curiosorum querelis negligitur. Quò impulsus, exoticas quasdam, vel nimis breviter ab aliis jam descriptas, vel malè depictas; quæ mihi operæ pretio dignæ videbantur, in hâc Centuriâ, figuris perfectioribus, prolixioribusq; descriptionibus donatas, reliquis prorsùs novis intermiscere placuit: quemadmodum inter alias etiam ex hâc Arbore siliquosâ, siliquis Ceratoniæ patet.

Arbor hæc in Brasiliâ Sorbi facie nascitur, ramis plurimis laterorsùm extensis, cortice cinereo, & potissimùm circa fastigia instar Rhois subhirsuto vestitis: quibus Folia alternatim adnascuntur, unicostæ sesquipalmaris ferè longitudinis,

dinis, crasſæ & hirſutæ, dena plerumque ex adversò ſita, per intervalla, inhærentia: ſingularia verò Folia, Sorbi quodammodò accedunt, à quibus potisſimùm discrepant, quòd latiora, nullo modo ſerrata, Myrti Laureæ effigie, ſed paulò majora, ac nervo rufeſcente, & venis, fibris, pilisq; ferrugineis, tàm in ſupinâ ſplendidisſimâ, quàm pronâ parte, dotata ſint. Flores, breviſſimos pedunculos, articulis duobus interceptos, habentes, in ramorum extremitatibus, ſeptem pluresve, quaſi in ſpica brevi cohærent, ut credo tubuloſi, & albi ſeu lutei coloris, in modum plerarumque *Ingarum* Braſilienſibus. Hi locum ſuum poſtmodũ ſpontè concedunt Siliquis ſubſequentibus, quatuor aut quinque uncias longis, unam latis, compreſſis, formâ Ceratoniæ, anteriùs adunco apice prominentibus, & ſecundùm longitudinem ad utrumq; latus, veluti Piſarum ſiliquæ, filo quodam circumdatis; quod inviſibile interdum, ob pilos hirtos, ferrugineos, ſiliquam hanc elegantisſimam, impensè ita veſtientes, ut tactu & aſpectu, velut ex materiâ holoſericâ Batavis Trúp appellatâ, confecta videatur. Interiora autem ſiliquæ, & ſeminis formam, non ſum rimatus; quoniam unicam, propter venuſtatem mihi maximè charam, confringere verebar.

Hæc Arbor *Inga Opea piiba* Braſilianorum, à Marcgravio in Hiſtoriâ Plantarum, Libro tertio, pagina 112, figurâ minùs aptâ, & breviter ſequentibus verbis repræſentatur. *Inga Opea piiba* Braſilienſibus: Arbor eſt cortice cinereo, in „ multos ramos expanſa; Folia ſibi directè op- „ poſita habens, duos aut duos, & ſemis digitos „

„longa, rufescente nervo & venis ac pilis rufe-
„scentibus supernè & infernè; juniores ramu-
„li item pilis vestiti. Post flores proveniunt
„siliquæ parallelogrammi figurâ compressâ, &
„in totum pilis hirsutæ rufis, in quibus conti-
„nentur Semina.

ARBOR SILIQUOSA BRASILIANA SECUNDA, SIVE SILIQUA TORTUOSA PUTRESCENTE, FRAXINELLÆ FOLIIS.

Cap. XV.

POstquam pedem tantùm in Plantarum leguminosarum regionem intulimus, in principio statim magna profectò copia admiratione dignissimarum occurrit. Quarum quædam pulchritudine suâ, oculos: nonnullæ odoris svavitate, nares: aliæ mirabili naturâ, meditationem spectantium, afficiunt. Quas inter omnes non vulgarem consequitur gloriam, Arbor hæc siliquosa Brasiliana secunda, quæ & venustate florum, ac eorum odoris svavitate, notabilique frondium naturâ, tres supra dictos tractus simùl facit. Eadem etiam à *Domino Doctore Pisone*, sub nomine *Guabipocacabiba*, & à *Marcgravio*, nomine *Guaibi pocaca biba* Brasilienſibus, jam quidem exhibita; sed pictoris negligentiâ, figurâ adeò imperfectâ, ut Lectorem plantas exoticas cognoscere cupidum, icone nostrâ, quam ad ra-

ad ramum ſiccum ex Braſiliâ translatum delineandam curavi, magis contentum fore, neq; ex additâ deſcriptione, faſtidium aliquod capturum confidam.

Eſt autem *Guaibi pocaca biba* Braſilianorũ Arbor fruticoſa, Sambuco, caudice, ramis, cortice & ligno, eundem etiam odorem, medullamque fungoſam continente, æquiparanda: Frondes verò ſeu Folia ramoſa, quibus obumbratur, longè ſunt diverſa. Quælibet enim illorum, pediculo rotundo, ſtriato, leniter hirſuto, dilutè viridi, dodrantalis longitudinis, candidisſimâ medullâ farcto, conſtat: in quo Suffragines, tres aut quatuor, holoſericæ, utrinque ex oppoſitò, per interſtitia uncialia & ſeſcuncialia, ſummo ordine diſpoſitæ, cernuntur. De his ſuffraginibus infimæ plerumque rarò longiores unciâ: ſecundæ, duplò majores: tertiæ, tertiâ adhuc parte; ſed quæ quarto aut ultimo locatæ, breviores iterum ſe ſiſtunt. Minimarum aut infimarum ſuffraginum unaquæque, foliis uno aut duobus; ſubſequentium, tribus aut quatuor; reliquarum, quatuor aut quinque Fraxinellæ figurâ & magnitudine æqualibus, utrinq; ſibi mutuò oppoſitis, alata eſt. Nec tamen hæc folia, inſtar Fraxinellæ, marginibus ſunt ſerratis, nec obſcurè, ſed dilutè & jucundè viridia, membranacea, rigidiuſcula, ſuperiùs glabra, inferiùs lanuginoſa & mollia inſtar Salviæ. Quorumlibet medium, propiùs tamen ſuperiori, quàm inferiori, majori, magisque convexo lateri, percurrit nervus, ex quo plurimæ rurſum coſtæ, fibras creberrimas reticulatas emittentes, oriuntur, omnes viſu tactuque

notabiles & pulchræ. Proximè frondium ſedes, ex ramorũ lateribus, ſurculi palmares prodeunt, bini vel terni, rarò autem ſolitarii, umbellam Floſculorum plusquàm viginti, fragrantiſſimorum, Primulæ florum formæ ſimillimorum, ſed dimidiò minorum, in lacinias quinq; anguſtiores deſinentium, ſuſtinentes, coloris lutei, ac ſerici inſtar molliter ſubhirſutorum: quilibet è caliculo dilutè vireſcente, ſtriato, lanuginoſo, extremis oris in quinque crenas diviſo, petiolum tenerum habente, generatur; atque ſtamina ex umbilico multa, criſpula, apicibus luteis onuſta (quos ſculptor non expreſſit) emittit; quæ cæſariem ſpectabilem, in inferiore parte luteam, in ſuperiore verò ex rubro croceam conficiunt. „Floribus decidentibus quòd fit menſe Martio, „(teſte Piſone) Siliquæ ſuccedunt dulces, tor„tuoſæ & deformes, primùm quidem virides, „mox maturitatem conſecutæ, fiunt nigræ & „putreſcunt.

Præterea dum Arboris hujus naturã conſideramus: ſciendum quòd folia ejus noctu conniveant, & oriente ſole iterum ſe aperiant, meridie planè explicent, & hinc iterum paulatim in noctem ſe componant, inſtar *Arboris dormientis* à Theophraſto apud Libavium deſcriptæ: ita ut hæc Arbor dormiens nuncupari poſſit; niſi fortè quis objiciat, Arbores plurimas leguminoſas ejusdem eſſe naturæ, ac proinde idem vendicare ſibi nomen poſſe.

MIMO-

ÆSCHYNOMENE SPINOSA PRIMA, SIVE LATIFOLIA BRASILIANA SILIQUIS RADIATIS.

Cap. XVI.

DE *Æschynomene spinosâ*, camporum Americæ meridionalis, floribus abundantissimorum, summo delicio, ac nostratium hortorum insigni miraculo, nullibi plura genera ac varietates, quàm in fertilissimâ reperiuntur Brasiliâ; quarum quinque jam tantùm, spinis horridissima, tactâ breviter sextâ Africanâ, inferemus mentionem.

Æschynomene spinosa prima, à nemine adhuc depicta, ac raritate omnibus antecellens: Planta est fruticescens, *Caules* ramosq; proferens pallidè virentes, quadrangulares, fragiles, medullâ niveâ refertos, & in angulis densissimè spinarum vallo lutearũ munitos. Hi alternatim per interstitia uncialia longiorave, *Frondibus*, (æquè ac rami) quadrangularibus, spinosisq; ornantur: quæ in extremitate fermè, in duas semunciam vix attingentes expanduntur suffragines, quarũ singulæ, *foliolis* utrinq; duobus, aversâ parte hirsutis, adversâ verò glabris & lætè virẽtibus præditæ, Senæ haud minoribus, nec disimilibus; exceptò, quòd altera eorum pars alteram longitudine & latitudine vincat, & interius foliolum inferius, multò brevius semper & longè minus observetur: cujuslibet folii longitudinem, nervus

vus erectus, ſuperiori tamen lateri propiùs, quàm inferiori transit, coſtas quasdam ſemilunaris figuræ, in inferiori latere, cum venulis parvis in utroque fundens. Inter frondium appendices, pilis rigidis exaſperatas, petiolus, vel ſolitarius tantùm (vel ſubinde plures ſimul juncti) anguloſus, tenuis, uncialis longitudinis, atq; ſpinulis multis præditus exit; *Globulum* ſuſtinens villoſum, Acaciæ dimidiò minorem, ex innumeris tubuloſis floſculis, ſtaminula pallida emittentibus, purpurei coloris, & ſquamulis compluribus pallidiuſculis ſpinoſis, conſarcinatum. Quem *Siliquæ* tandem ſubſeqvuntur membranaceæ, novem, decem, immò & duodecim, in orbem, Glycyrrhizæ Dioſcoridis inſtar, diſpoſitæ, longitudine unciam ſuperantes, pallidi coloris, & pilis longiuſculis hirtæ, circumq; margines longioribus, veluti ſpinulis, radiatæ: hæ per intervalla ſunt tumidiuſculæ, depreſſæ interſtitiis, ac Securidacæ inſtar geniculatæ; de quibus, ſemine maturo, filum, utrumq; latus fimbriæ inſtar cingens, ſolvitur, & ſiliqua ipſa diſſilit, in capſulas quatuor aut quinque parallelogrammas, in ſingulis *Semen* unicum compreſſum, olivacei coloris, & figuræ ovalis, Acaciæ quadruplò minus, continens, cujus utramq; ſuperficiem area circularis pingit.

Æſchynomene hæc à Marcgravio, nomine *Iuqueri-omnano* Braſilienſibus, in Hiſtoriâ Plantarum, Libro II. Capite V. pagina 64. deſcripta; eſt *Iuqueri*, aliis *Caaeo*, ſive Herba caſta vel Mimoſa prior, *Excellentiſſimi Piſonis*, de Medicina Braſilienſi

enſi

ensi, Libro IV. Capite 96. paginâ 117. quoad descriptionem.

Cæterum, quòd hujus Plantæ frondes & foliola concernit, tàm admiratione dignæ sunt naturæ, ut non solùm vesperi & noctu, Arboris de more dormientis, sed & omnibus diei horis sese celerrimè reclinent complicentque, non aliter ac si flaccescerent, quando vel baculo, vel manu leviter saltem tanguntur; paulò post autem in pristinam formam rursus se erigunt, non secùs ac si sensu prædita essent; unde & hæ ejusque generis plantæ, à nonnullis Herbæ sensitivæ, quamvis contra Gvillelmi *du Val* calculum, appellantur. Causa autem mirificæ jam dictæ proprietatis, nonnullis adeò difficilis scrutatu visa, ut Philosophum etiam quendam Malabaricum, dum nimis curiosè hujus plantæ naturam observare cupiebat, amentem esse redditum ferant; idem penè passus, quod de celeberrimo Aristotele perhibetur, qui cùm fluxum & refluxum maris capere non potuit, se ipsum in mare præcipitavit, quò ab eo caperetur. Alii eandem nimis levem judicant, sicuti Bontius diligentissimus, illam cum Cucumeris Asinini fructuum naturâ comparavit; qui maturitatem adepti, levissimo attactu à petiolo magno impetu strepituq; solvuntur, ac semine & aquâ contentâ se exonerant; sed illud profectò flatus, quò repleti sunt, conciliat; cùm alia sit *Æschynomenes*, nervis, fibris, valvulis, geniculis ac poris hoc perficientis, conditio. Plura qui de *Æschynomenes* frondium foliorumque motu scire desiderat, consulat Julii Cæsaris Scaligeri de Sub-

tilitate ad Cardanũ, Exercitationem CLXXXI, Distinctionem 28. Gvillelmi *du Val* Philosophiam Plantarum pag. 210, & sequentibus. Athanasii Kircheri, Mundum subterraneum, Libro XII, Sectione quartâ, Capite V, paginâ 418. Honorati Fabri de Plantis, Librum secundum, Propositione CLXXIX, p. 85. Roberti Hooke Micrographiam, Observatione XVIII, paginâ 116. Marcelli Malpighii Anatomes Plantarũ Ideam, paginâ 3, & 4; ac Henrici Regii Philosophiam Naturalem, Libro 4, Capite XVII, paginâ 390, 391, 392, cujus opinionem, Lectorem labore evolutionis sublevaturi, ad verbum subjunximus.



„ Hæc planta, dum viret, & in terrâ subsistit, „folia ad certam altitudinẽ ut in figura I, habet „erecta & expansa. Si verò quisquam ejus folia „vel levi manûs contactu attingat, mox, tanquam „sensûs motûsq; facultate prædita, folia sua, ut „in Fig. II, ad magnam humilitatem demittit. „Eaque, subductâ attingentis manu, paulatim

„postea

poſtea ſpontaneo motu in priorem altitudi-„
nem, Fig. I, eriguntur. „

Eaque omnia, per muſculos ſive fibras,„
nervos, ſpiritus, valvulas & poros, hâc ra-„
tione fiunt: Primùm, quia nervi interiores„
1.1, qui in ſuperiores foliorum muſculos vel fi-„
bras *aa* ſpectant, ſunt latiores, quàm nervi ex-„
teriores 2.2, in inferiores foliorum muſculos„
vel fibras *bb* ſpectantes; idcirco ſpiritus ſive„
halitus ex terrâ *c*, per nervos interiores 1.1, ut-„
pote latiores, copioſiùs in foliorum fibras ſu-„
periores *aa* influentes, & propter ſitum valvu-„
larum 3.3, ſurſum ſpectantium, in terram redi-„
re nequeuntes, dilatant illas ſecundùm latitu-„
dinē, & abbreviant ſecundùm longitudinem;„
eoque erigunt folia *dd*, quibus illæ ſunt inſer-„
tæ, ad illam altitudinem, quam articulatio vel„
flexibilitas, circa puncta .... exiſtens, permit-„
tit. Huc accedit, quòd hâc muſculorum ſupe-„
riorum inflatione, & foliorum erectione, ha-„
litus, qui in inferioribus foliorum muſculis ſi-„
ve fibris *bb*, exiſtunt, premantur; iique preſſi„
cogantur aperire valvulas & poros 4.4, ex ner-„
vis anguſtioribus 2.2, in nervos latiores 1.1,„
ſpectantes; atque ita, cum aliis halitibus in la-„
tioribus nervis 1.1, exiſtentibus, in ſuperiores„
foliorum muſculos *aa* transire, eaque ſurſum„
attollere; idque tantò magis, quia valvulæ in-„
feriores circa 1 & 1 atque 2 & 2 exiſtentes, ſuo„
ſitu ſurſum ſpectante halituum in terram *c* de-„
ſcenſum impediunt. Spiritus verò, ex terrâ *c*„
copioſiùs & fortiùs per nervos interiores & „
latiores 1.1, aſcendentes, non patiuntur val-„

„vulas 5.5, ex nervis latioribus in anguſtiores
„ſpectantes aperiri, halitusque per eas ex latio-
„ribus nervis 1.1, in anguſtiores 2.2, transire.
„ Cùm autem ſuperiores foliorũ partes circa
„*dd*, ex. gr. Fig. II, manu attinguntur, tùm ſpi-
„ritus, in ſuperioribus illis foliorum partibus
„ex illo contactu vehementiùs agitati, tendunt,
„per nervos interiores latioresque 1.1, deor-
„ſum; eoq; aperiunt valvulas & poros, quæ ſunt
„circa 5.5, & ex latioribus ac interioribus ner-
„vis in exteriores anguſtioresque 2.2, ſpectant;
„per easque, cum propter obſtaculũ ſurſum ſpe-
„ctantium valvularum 6.6, nequeant deſcende-
„re, aſcendunt; clauduntq; ſuo aſcenſu valvulas
„4.4, ex anguſtioribus nervis in latiores ſpectan-
„tes; atque ita neceſſariò transeunt in inferio-
„res foliorum muſculos ſive fibras *bb*; easq; in-
„flando, & ſecundùm longitudinem abbrevian-
„do, flectunt folia versùs inferiora, quantum ar-
„ticulatio vel flexibilitas, quæ eſt circa puncta
„adſcripta .... patitur, in ſitum ſc. & figuram
„quam Fig. II. exhibet.
„ Poſtea verò cùm folia iſta ita, ut Fig. II.
„oſtendit, ſunt depreſſa, & manus ab herbâ
„eſt ablata, halitus per interiores latioresque
„nervos 1.1, valvulasque ſurſum ſpectantes
„3.3, copioſiùs, quàm per exteriores anguſtio-
„resque 2.2, ex terrâ *c* in caulem aſcendunt;
„eoque claudunt primò valvulas, quæ circa 5.5,
„exiſtunt, atq; ex latioribus & interioribus ner-
„vis in exteriores 2.2, ſpectant; progredien-
„tesq; porrò ulteriùs, transeunt in ſuperiores fo-
„liorum muſculos *aa*, eosque inflando, attol-

lunt

lunt nonnihil folia, quæ erant depressa *dd*; pre-„
muntque istâ foliorum aliquantâ sublatione„
halitus copiosos in inferioribus foliorum mu-„
sculis *b. b*, existentes; iique pressi aperiunt in„
angustioribus nervis 2. 2, valvulas ex exterio-„
ribus nervis in interiores spectantes 4. 4, trans-„
euntque in nervos latiores & interiores 1. 1; i-„
bique cùm propter vehementiam halituum ex„
terrâ *c* copiosiùs in illos exhalantium, & valvu-„
las 5. 5, in angustiores nervos spectantes, clau-„
dentium, neque descendere, neque ad latera„
transire queant; à copiosioribus halitibus, in„
nervos illos interiores & latiores perpetuò a-„
scendentibus, determinantur necessariò in supe-„
riores foliorum musculos *aa*; quos, cum hali-„
tibus ex terrâ per latiores nervos ascendenti-„
bus, ingressi, attollunt folia, secundùm supe-„
riores partes *aa* halitibus copiosioribus reple-„
ta, secundùm inferiores verò *bb* inanita, in il-„
lum situ, quem folia antea habuerunt, qualem-„
que figura I hîc nobis ostendit. „

ÆSCHYNOMENE SPINOSA SECUNDA, SIVE FOLIOLIS ACACIÆ LATIORIBUS, SILIQUIS LONGIS HIRSUTIS.

Cap. XVII.

SEcunda, Radice longâ, crassâ, tortuosâ, extùs
è fusco subluteâ, intùs albâ, odoris fortis in-

ſtar Raporum, nititur; ac eâ fermè, quâ *prima*, facie excreſcit, quanquam major, ramisque pluribus, versùs humum magis inflexis: quibus *Frondes*, per diſtantias plerumq; laxiores, alternatim etiam dispoſitæ, adnaſcuntur, palmares, ſesquipalmares, quadrangulæ, tenues atque ſpinoſæ; à medio usque ad extremum Suffraginibus quatuor, ſex vel octo biuncialibus præditæ, *foliola* continentibus complurima, ſummo ordine & pari ſemper numero, ſibi directè oppoſita, lætè vireſcentia, Acaciæ Farneſianæ latiora; quorum ſingulorum medium, ſed ſuperiorem propiùs marginem, quàm inferiorem (de more omnium plantarum Æſchynomene dictarum) tener permeat nervulus, venulas teneriores, vix conſpicuas, ſpargens.

Hæ *Frondes* in modum *Æſchynomenes primæ*, tàm celeris ſubtilisque ſunt ſensûs, (ſi ita loqui concesſum) ut etiam leviſſimo attactu, tàm ſemetipſas, quàm earum ſuffragines, & ſuffraginum foliola, ocyſimè ad ſpectatoris admirationem, immò & ad ſtuporem animi, ita contrahant complicentque, quaſi vitâ & ſingulari abominatione illarum rerum, quibus attrectantur, præditæ. Ad miraculum hoc, contractione & expanſione nervorum perficiendum; tàm pediculus frondis, quàm ejusdem ſuffragines, in imo propè exortum, notabilibus; & pedunculi foliorum vix conſpicui, occultis geniculis, adeò concinnè & ſapienter, à Naturâ ſunt inſtructa, ut hoc ipſo, ad artificioſisſimæ rerum Magiſtræ induſtriam & ſubtilitatem incomprehenſibilem, ſummis laudibus evehendam exciteris.

Floſculi

Floſculi vel coloris incarnati, vel ex cœruleo purpurantes, pediculis tenuisſimis hirſutis, è ramorum lateribus, inter appendiculas frondium prodeuntibus, innaſcuntur numeroſi, in globulum Æſchynomenes primæ ſimilem congeſti, folio unico tubuloſo, ſtaminula pallida inſtar floccorum gerente, conſtantes. Hos excipiunt *Siliquæ* longæ, hirſutæ; quarum unicuique loculo, *Semen*, circulo in ungvem (juxtà harum Plantarum, atque Acaciæ ſeminis naturalem teſſeram) ducto, minus quàm ſpinoſæ Æſchynomenes primæ ineſt nigerrimum & ſplendens. Quòd nitratâ in aquâ priùs maceratum, dein tepore verno terræ commiſſum, & ſub pileo retentum vitreo, lætè quidem egerminat, ſed rarò ultrà pedalem aſſurgit altitudinem, floribusque admodum avarè autumnat, ad hyemem autem cura nunquam pervenit, quamvis perennis in Braſiliâ, ubi ejus uber proventus.

Æſchynomene verò *ſpinoſâ* noſtra *ſecunda*, eſt *Caaeo* ſeu Herba viva prima Marcgravii in Hiſtoria Plantarum, Libro II, Capite XII, paginâ 73. Quæ *Caaeó* ſive Herbæ Caſtæ ſpecies prima (quà deſcriptionem & iconem) Domini Piſonis, in Hiſtoriâ Naturali & Medicâ Indiæ Occidentalis, Libro IV, Capite XLI, paginâ 201, 202; ac *Iuqueri*, aliis *Caaeo* ſpecies prior, quoad iconem, & poſterior, quà deſcriptionem, ejusdem Piſonis de Medicina Braſilienſi, Libro IV, Cap. XCVI. paginâ 118.

ÆSCHY-

ÆSCHYNOMENE SPINOSA TERTIA, SIVE FOLIOLIS ACACIÆ ANGUSTIORIBUS, SILIQUIS PARVIS ECHINATIS.

Cap. XVIII.

IBi & *tertia*, validioribus ſpinis undique horrens naſcitur Frutex, Roſarum magnitudine; ramis multis, rotundis, hirſutisſimo cortice atrorubenti obductis: quos *Frondes* nullo ordine & temerè naſcentes, ſescunciam longæ, tenues, hirſutæque ambiunt; ſubtùs ad exortum, duobus hamatisque ſentibus armatæ, & ſuperiùs in quovis latere, quatuor aut ſubinde quinque ſuffraginibus, *foliola* obſcurè virentia, Acaciæ anguſtiora habentibus, densè adeò in orbem alatæ, ut flabellum è plumis confectum perminutum, non malè exprimere videantur. *Globulos* ſecundæ fert minores, floſculis rigidioribus & magis patulis congeſtos, ternos, ſenos, vel nonnunquam plures ſimul junctos: quibus *Siliquæ* ſuperveniunt, pilis rigidis echinatæ, tenues, in tres diſtinctæ loculos; quorum ſingulis, ſingula *Semina* præcedentium paria, ſed aliquantò minora, coloris ex ſpadiceo fuſci, incluſa. Horum non exiguam copiam à *Carolo Chyvri p. m.* Anno M. DC. LX. dono accepi: de quibus quædam *Magnifico, Nobiliſsimo, Ampliſsimoq; Domino* BENJAMIN Engelken *Conſuli ac Scholarchæ hujus Urbis meritiſsimo, & Viro ſanè omnigenâ re-*

rum

um ſcientiâ inſtructiſſimo, Patrono meo ſingulari, communicavi; quorum unum protulerat plantam, quæ proprietatem ſuam mirabilem, non ſine ingenti delectatione *Nobiliſſimi Cultoris* demonſtravit.

Et hæc quidem eſt illa *Æſchynomene* (quæ *Caaeo* ſeu Herbæ vivæ tertia ſpecies Marcgravii: ac *Iuqueri*, aliis *Caaeó* poſterior ſive ſecunda (quâ iconē) D. Piſonis, de Medicinâ Braſilienſi, Libro IV, Cap. XCVI, pag. 118; atque in Hiſtoriâ Naturali & Medicâ Indiæ Occidentalis Libro IV, Cap. XLI, pag. 203.) cujus ego ſemen cuidam Conſangvineorum meorum tradidi, è quo Planta progerminavit; ad quam audacula hilarisque, ſed honeſta puella deducta, cùm ei ſignificaretur, iſtam plantam tàm miræ eſſe proprietatis, ut ſi deflorata, folia ejus leviter ſaltem attingeret, eadem ſe mox contraherent, ac ſi planè periiſſent: dumque lepida illa & ſvavis adoleſcentula, in animo cogitans, iſthæc per ludum & jocum prolata; folia audaciter & intrepido animo, dextrâ tetigit, verùm momento oculi evidenter cernens, ea ſubitò moveri & contrahi, ita rubore ſuffuſa eſt, ſudorque toto paſſim vultu concidit, ut planè inſcia eſſet, quid rerum agendum, & penè in eas cogitationes deveniret, plantam illam ſecretum & occultum ſvavium detegere poſſe: propemodum fermè ac Indus ille, qui *Vtias* (animalcula ſunt Cuniculis ſimilia, ſed muribus non majora; Nierembergio teſte) aliquot numero aſſatas, cum folio Arboris *Copejæ* cui numerus *Vtiarum* inſcriptus, ad Hiſpanum quendam deferebat, verùm conficiendo i-

ter, ſive fame ſive gulâ impellente, tres ex iis devoraverat; quòd cùm ei Hiſpanus exprobraret, indicaretque allatum folium ſibi omnia patefeciſſe atque indicâſſe, illi rei non ſolùm fidem tribuit, veritatem faſſus; ſed & alios Indos, quibus rem geſtam narrabat, ab iſtâ Arbore, ut ſibi caverent monuit. Unde apud iſtos fama exorta, Arborem *Copejam* cum Hiſpanis colloqui, eisque omnia & ſingula Indorum facta prodere.

In quâ perridiculâ Indorum ſimplicitate major tamen integritas modeſtiaque occurrit, quàm in quodam hujus loci, cui eandem hiſtoriam cum *Amygdali Æthiopicæ*, *Arboris camphoriferæ Japonicæ*, *Æſchynomenes primæ & Geranii noctu olentis*, in alicujus gratiam ex manuſcriptis meis in calamum (eâ tamen lege, ut â me ſibi credita tamdiu, donec Opuſculum hocce meum in lucem prodiiſſet, ſilentio involveret) dictâsſem: ille autem à me vix discedens, ſe Doctorem ſummum fore putavit, ſi commiſſa ſibi de labore meo ebuccinaret, haud ſecum reputans, Struthionis ſe exornatum pennis, nihil minus quàm Struthionem eſſe, quin immò potiùs tanquam ſorex ſuo indicio ſe prodidit, & aperuit ſe non niſi alienâ vitulâ arare poſſe.

ÆSCHY-

ÆSCHYNOMENE SPINOSA QUARTA, SIVE FOLIOLIS ACACIÆ ANGUSTIORIBUS, FRONDIBUS VALIDISSIMAS SPINAS HABENTIBUS.

Cap. XLIX.

QUarta, Frutex itidem Brasilianus, spinis adhuc validioribus rufescentibus passim armatus, & altiùs, utpote in Oxyacanthæ magnitudinem excrescens; cortice purpurante, lento, & in ramis piloso, tectus. Hujus *Frondes*, seu *Folia*, Acaciæ instar sunt ramosa, ac observatione profectò digna: illorum enim quodlibet, ex pediculo penè dodrantali, crasso, lignoso, piloque abundanti hirsuto & rufescente constat, per intervalla semuncialia, octo, decem aut duodecim paria Suffraginum, biuncialis longitudinis, sibi directè oppositа, habens; quæ *foliolis* compluribus utrinq; admodùm exiguis, densiùs quàm congeneres omnes mirabiliter adeò pennatæ, ut tanquam in alis avicularum pennulæ appareant: inter cujuslibet Suffraginum paris medium, ex petioli supinâ & carinatâ parte, aculeus longus & gracilis progeneratur; & in mediâ suffraginum distantiâ, utrinque ad petioli latus, crassæ, aduncæ, Rosarum similes, validissimæque spinæ; eo modo, ut par semper suffraginum, par spinarum, & par spinarum, par suffraginum (in medio, sicuti dictum, aculeum semper tenuem habentium) alternatim, ordine accu-

ratissimo se invicem excipiat. *Flosculos* fert sui congenerum de more, in globulum coagmentatos, sed majorem; dein *Siliquæ* hirsutæ è floris centro, longissimæ progerminare, feruntur.

An *Arbor sensitiva*, de quâ plurimùm Reverendus Dominus Carolus de *Rochefort*, in Historiâ Naturali Insularum Americæ mentionem facit; illos, qui *Isthmum à Nombre de Dios* usque *Panama* peragrârunt, commemorâsse, integras ibi dari sylvas, *Arborem* dictam *Sensitivam* ferentes, quæ tacta, magno cum strepitu folia & ramulos erigat, formam globi repræsentantia?

Cæterum an Herba viva alia fruticescens, Lusitanis *Silva d' Agoa* dicta, Marcgravii? (quæ *Caaeó* secunda species, Lusitanis *Sylva do Praya* vulgò dicta Domini Doct. Pisonis, in Historiâ Naturali & Medicâ Indiæ Occidêtalis, Libro IV, Capite XLI, paginâ 202. quantùm ad descriptionem attinet) cujus Siliquas à Domino Carolo *Chyvri* acceptas, in icone *Æschynomenes spinosæ secundæ*, proposuimus.

ÆSCHYNOMENE SPINOSA QUINTA, SIVE FOLIOLIS ACACIÆ LATIORIBUS, FRONDIBUS LONGISSIMOS ACULEOS HABENTIBUS.

Cap. XX.

QUinta, Viri integerrimi Dn. *Sevenhuysene*, Pharmacopolæ Celeberrimi, ac Botanici eximii

mii Hagæ Comitis, in horto, jam multos antè annos, ex ſemine Americano, oblongiuſculo, olivacei coloris, tàm feliciter exſtitit, ut intrà annum, ternos in cubitos, in Arbuſcula pulchra adoleverit. Hæc *caudicem* habebat ligneum, rotundum, digiti craſſitie, & multis ſpinis deorsùm flexis rigentem: ex quo ramuli confuſo ordine oriebantur ſpinoſi; *Frondibus* inumbrati frequētisſimis, Æſchynomenes quartæ admodùm æmulantibus, niſi quòd tenuiores, multò minùs hirſutæ, ſpinisque minoribus ac infirmioribus, aculeis contrà altero tantò longioribus prædita eſſent; & ſuffragines eorum, quæ laxiùs diſpoſitæ, *foliolis* majoribus, Æſchynomenes ſpinoſæ ſecundæ meliùs convenientibus, minùs arctè pennatæ. Hæ *Frondes*, æquè ac antecedentis tactæ, ut & veſperi ſinè cõtrectatione, ſed tardiùs paulò foliola complicantes, ita deorsùm ſuffragines detorquebant, ſicut in icone altera frons, perbellè demonſtrat; in quâ tamen foliola malè expanſa, cùm complicata vel clauſa picta eſſe debuiſſent: aliàs frons utraque, ſtudioſisſimè cælata; in quâ ſuffraginum etiam genicula accuratè ſatis exprimuntur.

Huic addendum viſum fuit, *ſextum* adhuc *Æſchynomenes ſpinoſæ genus rariſſimum:* de quo ramus circiter pedalis, Amſtelodami, quendam apud pictorem, mihi conſpectus: qui (niſi me fallit animus) Pariſiis in Horto Regio eundem ſe collegiſſe perhibebat; ubi ex ſemine Inſulæ *Madagaſcar* delato, Arbuſcula hæc rariſsima fuit educata. Hic verò *Ramus*, qui innumeris, omniumque latisſimis, ſed infirmis ſpinis, pallidi

coloris alatus erat; Æschynomenes spinosæ secundæ fermè obtinebat *Frondes*, spinis autē nullis horrentes, nec foliolis dilutè, sed obscuriùs virentibus pennatas, quæ, referente possessore, non minoris fuerunt motûs, quàm Æschynomenarum reliquarum frondes. An Arbuscula sensitiva, in Horto Lutetiæ Regio visa, magnique æstimata, Domini Caroli *à Rochefort*?

Præter genera *Æschynomenes supra enarrata*, quæ suâ præ aliis omnibus plantis, singulari rarâque qualitate & affectu, ingeniis excellentissimis, egregias præbent speculationes; plurima adhuc dantur, partim spinis pungentia terribilissimis, partim iis penitùs carentia: quorum posteriorum, tria præprimis Americana, cum fructu Asiatici in Horto nostro sicco occurrunt.

PRIMUM GENUS,
sive
Æschynomene mitis prima, vel potiùs Herba Casta Americana, foliolis Acaciæ latioribus, siliquis latis compressis majoribus.

CUbitalis fermè altitudinis est Planta, *ramis* multis saturè viridibus, ad purpureum aliquando tendentibus: in quibus *Frondes* magno numero, ejusdem penè formæ, cujus Æschynomenes spinosæ secundæ spectantur; nisi quòd tardioris sint motûs, ac aculeis omninò careant, earumq; suffragines sive pennæ foliolis obscuriùs virentibus, purpureo quodam subinde variegatis colore, compositæ. Ex frondium sede, pediculus exsurgit sesquiunciarū nudus, cujus cacumini *Flores* insident tubulosi, in spicâ, Pimpinellæ instar, globosâ

globosâ condensati: his evanidis apparent *Siliquæ* novem, decem pluresve simul junctæ, unciales, membranaceæ, fuscæ, compressæ, Genistæ haud multùm abhorrentes, tot in utroque latere extrinsecùs tuberculis præditæ, quot *semina* numerantur intrinsecùs, quæ nigra, formâ & circulis Æschynomenes spinosæ secundæ paria.

An Herba sensitiva prima Insulæ *Tabago*, Domini *à Rochefort*?

Abundanter provenire dicitur in *Barbados* & aliis Insulis Americanis, inde Siliquæ & Semina Anno M. DC. LXV. *Amplissimo Domino Johanni Commelyn* allata, qui eadem mecum participavit.

SECUNDUM GENUS,
sive
Æschynomene mitis secunda, vel potius Herba Casta Zeylanica, siliquis latis compressis minoribus.

HUjus Siliquam ab *Excellentissimo Domino Syen, Fautore plurimâ observantiâ colendissimo*, mihi humanissimè, cum maximo animi mei prolubio communicata est, sequenti additâ relatione.

Transmitto *Siliquam Æschynomenes ex Zeilan*, *Insulâ siliquis parvis Domini D. Hermans*, à Brachmenibus *Ladschini*; Malajis verò *Totta Vaddi*, dictæ, quæ cum quinque aliis, uni adnata fuerat petiolo; è quarum seminibus, planta hoc anno eleganter nobis propullulavit, Mimosæ minoris haud absimilis facie & motu, quæ cũ inopinato unicæ noctis casu exaruerit, nec siccari, nec depingi potuit.

Siliqua

Siliqua verò, quæ ex ſpadiceo fuſca, nullis articulis intercepta; & *Semen* quod aſſervo, Herbæ Caſtæ primæ perquam ſimilia ſunt; niſi quòd non majora, quàm in icone Mimoſæ non ſpinoſæ Zeilanicæ ſub numero 2. exprimuntur.

TERTIUM GENUS,
ſive

Æſchynomene mitis Americana, foliolis Acaciæ anguſtioribus, Siliquis longis anguſtis, ſemine quadrangulari; cujus Semen *à Domino Sevenhuyſen* accepi: eſt Mimoſa Italica ſive Herba viva ſpuria, Hyacinthi Ambroſini, in Phytologiæ Partis primæ, Tomo primo, paginâ 359, & 360. delineata.

QUARTUM GENUS,
ſive
Æſchynomene mitis Americana, foliolis Acaciæ brevioribus.

ARbuſcula eſt rariſſima, in Corocao Inſulâ naſcens, *Frondibus* Acaciæ, in quibus *foliola* breviora, pedunculis longioribus quàm omnium Æſchynomenes generum inſidentia, cernuntur. *Globulos* uberrimos, Æſchynomenes ſpinoſæ tertiæ ſimillimos, floſculis verò majoribus, elegantioribus, paucioribusque compoſitos gerit. *Siliquarum* figura nos latet.

ADDITAMENTUM.

ANtequam verò huic capiti Colophonem imponam, non adeò inutile reor, hoc loco etiam paucis *Æſchynomenen Antiquorum* tangere, de quâ ita Libro IV, Hiſt. Plant. Cap. 3. ſcripſiſſe

pſiſſe videtur Theophraſtus. *Naſcitur circa Memphim peculiaris quædam materia* (Gaza vertit: Gvilandinus autem quiddam: Plinius malè arbor: Bodæus à Stapel optimè Frutex vel Herba) *non foliis, vel ramis, vel totâ formâ peculiare quid ſortita, ſed eventu. Quippe facies ejus ſpinoſa: Folium Filici ſimile.* (πτέρισι: ita & Gaza. Plin. legit πτερῖς, id eſt, pennis.) *Sed quum ramulos quisquam contigerit, folia veluti areſcentia & langueſcentia contrahi ajunt,* (vulgata ex. habent ἀφαυλινόμενα: Gaz. legit ἐπανβλυνόμενα: nam hebetata cõvertit, duro ſenſu. Leg. ἀφαυαινόμενα cum Scaligero obarefacta) *deinde paulò pòſt ad vitam redire & vivere.* Et Plinius, qui Libro XIII, Capite 10. hallucinatus eſt, dum ὕλημα Theophraſti, cum aliâ quadam arbore, ab eodem Autore, poſt ὕλημα memoratam ſtatim deſcriptâ, confundit; Æſchynomenes etiam Libro XXIV, Cap. 17, brevibus hiſce verbis injecit mentionem: *Adjecit his Apollodorus aſſectator ejus herbam Æſchynomenen, quoniam appropinquante manu folia contraheret.*

Aſt *Theophraſti Plantam ſpinoſam Filicis folio*, ab *Æſchynomene Plinii* ſeparare nonnulli volunt; cùm contrahi non ſcribit folia Theophraſtus, (ſi Gazam ſequatur) ſed exſiccari aut hebetata concidere. Si autem contentam in Johanne Bauhino verſionem, à nobis allegatam, quin & ſcribendi genus, quo natura Mimoſæ à multis exprimitur, trutinaveris; haud difficulter conjicies, aliter, quàm leguntur, intelligenda Gazæ verba. Nos igitur *Plinii Æſchynomenen*, ac *Plantam Filicis folio Theophraſti*, tàm diu unam & eandem credemus,

demus, donec Apollo aliquis, differentiam earum dilucidè nobis oſtenderit.

Jam verò quæritur, qualenam *Æſchynomene Veterum* genus ſit plantæ? hoc perdifficile declaratu, propter breviſſimam Antiquorum deſcriptionem. Ex quâ tamen colligere tantum licet, Plantam eſſe, cujus facies ſpinoſa, foliumque filicibus non abſimile, quæ, ſi quisquam ramulos eorum contigerit, veluti areſcentia & langveſcentia ſe contrahant. Quâ cum nulla plantarum, mihi cognitarum, convenire meliùs videtur, quàm *Caaeo* Braſilianorum: cujus genera plurima ſpeciesque ſpinoſæ; ac foliis pennatis Filici ſimilibus, appropinquante (*ut Plinii verbis utamur*) manu ſe contrahentibus, cotatæ ſunt: quapropter etiam *Æſchynomenen* indigitare decrevimus. Hæc leguminoſa eſt Planta, Floſculis tubuloſis; Siliquis articulatis, (&, ſi eidem Herbam Caſtam noſtram annumerare velis, etiam non articulatis) Semina in utroque latere ovali circulo Acaciæ de more inſignita, continentibus. De quâ Arbores, Frutices & Herbæ reperiuntur, eaque ſenſibiliter valdè, vel obtusè, immò & ſenſu (loquor metaphoricè) penitùs carentes. Hinc â quibusdam varia ſortitur nomina, & pro diverſis habetur plantis: cùm tamen propter qualitatem & affectum, â ſuo averruncanda genere, tàm minùs; quàm pruna ſylveſtria conſtipantia, â prunis domeſticis laxantibus, quæ illorum claſſi accenſenda. Cui verò distingvere Æſchynomenen in diverſa leguminum genera arridet; disjungat illud cum ſiliquis articulatis, â non articulatis; hocq; *Herbam*

bam Caſtam vocet, ad differentiam alterius cui nomen *Æſchynomenes* tribuimus, ſicque non adeò mihi reprehendendus videbitur.

Tantùm de *Æſchynomene Antiquorum*, & noſtrâ, nomine aliàs Mimoſæ decantatisſimâ, quod etiam illi usque eò indidi; donec liberalitate *Nobilisſimi, Excellentisſimiq; Domini Syen*, Flos, cum folio, Siliquâ & Seminibus ad manus pervenêre meas, Plantæ alterius Hedyſaro clypeato Herbariorum valdè affinis, cumque Mimosâ Acoſtæ (exceptò quòd non ſpinoſa) meliùs, quàm Æſchynomene convenientis. Hujus Siliquæ, Hedyſari clypeati non valdè ſunt disſimiles, ex fuſco autem ſpadiceæ, minùs aſperæ, majoribusque diſtinctæ geniculis, in ſingulis Semen Hedyſari clypeati quadruplò majus, & flavum cum tempore ſpadiceum, nullis circulis (contra Æſchynomenes Seminis teſſeram naturalem) notatum, concludens. Quod quidem terræ mandavi, ſed irrito conatu, ita ut nihil ampliùs de plantâ hâc rariſsimâ in medium proferre poſsim; niſi ſingulari favore, ſchema cum ſequenti deſcriptione accuratisſimâ, *Laudatisſimus Dominus Syen* nobis transmiſiſſet, cui hoc nomine, Botanico dediti ſtudio, condignas debent gratias.

MIMOSA NON SPINOSA MAJOR ZEYLANICA DOMINO HERMANS, EXCELLENTISSIMI DOMINI SYEN.

Radice firmatur rotundâ, & ſubrufâ, quæ pau-,, lò infra terræ ſuperficiem, in tres qua-,, tuorve partes finditur, & rurſus poſtquam pro-,,

MIMOSA NON SPINOSA MAJOR ZEYLANICA DOMINO HERMANS, EXCELLENTISSIMI DOMINI SYEN.



fundiùs delituerit, in plures ſubdividitur, pau-
latimque in capillamenta coloris albicantis de-
ſinit. Huic innititur *caulis* rotundus, concavus,
mollis & tener, coloris dilutè vireſcentis, cui al-
terno ordine adnaſcũtur *Folia* longa, ex plurimis
aliis minoribus lateralibus nervo medio inter-
currente, conflata, pari modo ut in aliis Mimo-
ſis liquet, niſi quòd folium hocce anguſtius
ac non ramoſum, & tota planta prætereà dilu-
tiorem colorem obtineat, ſenſuq́; obtuſiore ſit
prædita. Juxta foliorum exortum *Flores* ena-
ſcuntur papileacei, nunc ſingulares, nunc bini,
ternive, pediculis brevioribus inhærentes, figu-
râ (quantùm ex ſiccâ plantâ colligere datum) ad
Geniſtæ flores propemodùm accedentes, colo-
risque lutei vel aurei, labello autem inferiore
hirſuto. Hiſce ſuccedunt *Siliquæ* anguſtæ, com-
preſſæ & articulatæ, trium unciarum ut pluri-
mùm longitudine, quinq́; vel ſex Semina, ſuis
internodiis diſtincta continentes, quorum nu-
merum externè facilè quis diſtinguat, cùm non
ſolùm forâs promineant, ſed & iis in locis ubi
conſpiciuntur ſemina, ſiliqua planè ſit aſpera &
ſcabroſa, articulationibus prætereâ, quæ ea
diſtingvunt, tàm teneris, ut, ſi leviter tantum-
modò tractentur, facili negotio â ſe invicem ſe-
parentur: ſiliquæ extremitati inſuper appendi-
cula quædam utplurimùm adhæret capillacea.
Semen ipſum Lentis fermè eſt magnitudine, co-
loris ex griſeo, vel ſubfuſco flaveſcentis, &
exactè renis figuram exhibens, pari modo, ut
in Spartio monoſpermo altero Bauh. Pin. vide-
re licet. A. 1675. & 1676. ſemel atq́; iterum è

„ ſemine nobis in horto Academico Lugduno Ba-
„ tavo, & Prædio noſtro ſuburbano, fuit enata:
„ Verùm, cùm admodùm ſit tenera, & non ſolùm
„ intenſum calorem; ſed & ſolum apprimè humi-
„ dum amet, nunquam ulterius quàm ad pedalem
„ vel paulò majorem excrevit altitudinem: con-
„ trectata autem folia tàm ſegniter contrahebat,
„ ut vix illud animadverti poſſet.

Semen ipſum ex *Ceylon*, inſulâ totius Orbis lau-
„ datiſſimâ, ad nos transmiſerat *Eruditiſſimus &*
„ *Diligentiſſimus Botanicus Dominus Paulus Hermans*,
„ *Societatis Indicæ Medicus Ordinarius*, additâ ſe-
„ quenti inſcriptione; An *Æſchynomene Apollodori?*
„ *Herba Mimoſa Zeylanica major*, *Dyahibala* Cinga-
„ lenſium, id eſt, Tamarindus aquatica; *Dya* enim
„ aquam denotat, in quâ naſci amat, & *Hiembala*
„ Tamarindum, cum quâ folia fermè habet com-
„ munia.

Quibus hiſtoriam *Mimoſæ non ſpinoſæ*, ſeu *Securidacæ clypeatæ* (quod nomen, Hedyſaro clypeato genuinum nomen nondum habenti, ad aliud usq; tempus retinemus) *flore luteo*, *Lentis folio Zeilanicæ*, Siliquâ nonnihil, ſed floribus, foliis & Seminibus longè ab Æſchynomene discrepantis, ſimiliter concludimus.

Supereſt ut *Herbam Vivam*, & quidem hâc vice leviter, veluti extremo digiti apice tantùm attingamus. Hanc juxta delineationem Acoſtæ, Foliis convenire cum Mimoſæ non ſpinoſæ Zeilanicæ apparet; ſi verò exanimentur Flores (de fructibus enim & ſemine nihil liquet) tàm à Mimoſâ, quàm Æſchynomene longè eſt diverſa, ac planta fortè Heteroclita habenda.

Et

Et hoc, quantum mihi de *Æschynomene, Mimosâ, Herbâ Castâ, atq; Vivâ* constat: quâ de materiâ clariora fortè Posteritati à *Domino Doctore Hermans*, nunc apud Indos degente, atq; commodiori, quàm nos, occasione Plantas perquirendi exoticas utente, exspectanda.

EXPLICATIO TABULÆ, in quâ Mimosa non Spinosa Zeylanica exprimitur.

1. Mimosam non spinosam Zeylanicam,
2. Siliquam Herbæ Castæ Zeylanicæ,
3. Semen Herbæ Castæ Zeilanicæ, indicat.

ET quoniam placuit in Tabula B, Siliquas rariores quasdam repræsentare: breviter easdem etiam hîc describendas duximus.

NUmero *IV.* diligenter exprimere curavimus, *Siliquam Fruticis, foliis Acaciæ, Mesopotamici*, à Columnâ, in Rerum Medicarum Novæ Hispaniæ Annotationibus, descripti. Quæ à Johanne Ponâ, in Descriptione Montis Baldi, editionis Italicæ, pagina 36, nomine *Caroba o Siliqua di Guinea purgativa*, proponitur. Hanc Siliquam ab *Amplissimo, Nobilissimo Domino, Domino Theodoro Golio J.V.D. Civitatis Lugduni in Batavis Consulari, & quondam Prætore, nunc verò ejusdem nomine ad Collegium Architalassicum, quod Amstelodami est, Delegato*, nomine *Siliquæ Nabathææ ex Persiâ allatæ*, unà cum ingenti farragine rariorum, tàm ad Regnum Vegetabilium, ac Animalium, quàm Mineralium pertinentium Rerum Naturalium, accepimus.

REPRÆ-

REPRÆSENTAVIMUS PRÆTEREA in eâdem Tabellâ Numero V.

Siliquam Arboris Guatapanæ ex Corocao Insulâ, cum Ceratoniæ, & Acaciæ Farnesianæ affinitatem



quandam habentem. Hæc Pisi sine cortice duriore instar intorta, compressa, ac unâ parte carinata, alterâ convexa est; corticibus duobus constans, quos inter substantia quædam filamentosa & cinerea continetur: Cortex primus sive exterior, membranaceus atq; è fusco est spadiceus; alter sive interior, vel qui mediam Siliquæ longitudinem transit, eandemq; ceu paries intergerinus in duas partes separat, albicans, validior, arcteq; adeò concretus, ut cavernulæ quædam exiguæ, iis tantùm in locis (Ceratiæ ritu) observentur, ubi *Semen* Ceratiæ quadantenus accedens, sed multò minus continetur.

CASSIÆ ET HERBÆ CASTÆ,
medius Indiæ Orientalis Frutex.

DElineatur *Numero VI*, *Siliqva*, Frutici (ut audivimus) venustissimo, floribus Cassiæ, neq; disparibus, sed minoribus foliis exornato, innascens. Quæ Anno M. DC. LXVI. ex *Ambon* Indiæ Orientalis Insulâ, sagacissimo stirpium Investigatori Domino *Sevenhuysen*, nomine *Campang cuning* allata, ejusdem liberalitate in Museo nostro asservatur. Ea quâ expressa est magnitudine, substantiâ membranaceâ vel potiùs papyraceâ, è spadiceo vel ex purpureo obsoleto fusci coloris, plana valdè ac compressa, isthmis quibusdam, multisq; venulis quasi articulis intercepta; ac intrinsecùs per membranulas in plurimis distincta concamerationibus, in singulis *Semen* Siliginis magnitudine continens oblongum, compressum, è spadiceo fuscum, splendens, circulo in ungvem ducto, veluti Æschynome-

nes & Acaciæ notatum. Horum quoq; nonnulla antè annos circiter tres, ab *Excellentissimo Domino Arnoldo Syen, Doctore & Professore Medicinæ ac Botanices Lugduni Batavorum, longè Celeberrimo*, cujus studio indefesso in re Botanicâ multum debetur, nomine *Acaciæ similis ex Persiâ* impetravimus; quæ autem olivacei erant coloris, nec splendentia.

Repræsentavimus tandem Numero VII, Caulem cum racemo *Filicis Indiæ, Osmundæ facie*, Bodæi â Stapel: quæ aculeis omninò destituta, & cum Plantâ Filicis folio Theophrasti minimè comparanda.

CASSIA FISTULA BRASILIANA FLORE INCARNATO.

Cap. XXI.

Cùm tertio in Capite indicaverim, quænam icon arboris, pro Cassiæ fistulæ Brasilianæ, multos apud Auctores sit expressa, meum est, ut de ipsâ Cassiâ nunc paucis etiam agam, & genuinam ipsius effigiem, quippe â nemine illustratam, luci exponam.

Cassia verò hæc *Tapyracoaynana* Brasilienſibus, insignis elegantiâ & magnitudine arbos, caudice recto, lævi, ex cinereo albicante, ramis longè lateque luxuriantibus; quos *Folia* amœnissima vestiunt cylindracea, multa unicostæ dodrantali, brevissimis pedunculis directè sibi oppositа, dilutè virescentia, lanuginosa, paulatimque

timq; ſemper ſurrectim ſtantia, quorum cujusvis longitudinem ſubrubicunda permeat coſta, & latitudinem venulæ complures, quæ directè ſemper ſibi imminentes, paribus interſtitiis ita disponuntur, ut ſubrotundis inflexisq; extremitatibus, proximè folii marginem concinnâ ſerie & ordine concurrant. *Flores* ex alarum ſede originem ducentes, tenerisq; ſuis Surculis penè ſesquipalmaribus, velut in ſpicam digeſti, uncialibus, lanuginoſis, teneris pedicellis appenſi, ex capitulis Capparum paribus prorumpunt, Caſiæ Alexandrinæ longè minores, quinis etiam petalis, ſed incarnati coloris, compoſiti; horum umbilicum, ſtamina octo occupant, apicibus magnis prædita, & ſurſùm reflexa, quorum inferiora tria, ſuperiobus duplò longiora: inter quæ Stylus conſpicitur ſemilunaris, longus ac lanuginoſus, ſucceſſu temporis, in *Siliqvam* talem tamq; grandem evadens, qualis à Lobelio & Excell. Domino Piſone expreſſa, ac à Marcgravio in Hiſtoriâ Plantarum, libro tertio, capite XVIII, paginâ 135. ita deſcripta. Poſt Flores ſeqvuntur Siliquæ, immaturæ quidem virides, maturæ nigræ ſeu fuſcæ deorsùm propendentes; quælibet circiter duos pedes longa, quinq; digitos craſſa, paulatim incurvata, ut enſis Polonicus. In uno ejus latere eminentia duplex eſt ſecundùm longitudinem, in altero ſimpla, quaſi chorda agglutinata eſſet ſub cortice: Nec rotunda nec teres exactè eſt ſiliqua, ſed conciſa, nam transverſim inciſio ellypſim deſcribit. Cortex exteriùs eſt inſtar corticis exterioris arboris, inte-

„rior lignosus & albus. Non possunt hi cor-
„tices simul frangi, sed malleo concuti debent:
„Siliqua porrò intùs transversim multas habet
„distinctiones, quarum quælibet crasitiem pen-
„næ anserinæ capit. In qualibet autem cellu-
„lâ *nucleus* latet, magnitudine & figurâ amy-
„gdalæ, coloris ex albo flavescentis, splendens,
„lævis, durus, per longitudinem lineâ subru-
„fâ in uno latere divisus, nucleum continens
„album, corneæ substantiæ. Quælibet præter-
„ea cellula continet substantiam glabram, glu-
„tinosam, brunnam seu subnigram instar Cassiæ
„solutivæ, sed amari saporis & ingrati. Ad-
„stringendi vim habet. Hucusq; Marcgravius qualitatem minùs aptè exprimens, quemadmodum ex sequentibus Pisonis verbis videre
„licet. Siliquæ &c. ingrati & amari saporis,
„quæ primò ante maturitatem cum astrictione
„conjuncta est. Ubi verò gradum ulteriorem
„maturitatis acquisiverit, laxat alvum. Et Lobelius, Casiæ nostræ Brasilianæ Siliquæ descriptionem, in Pharmaceutices Officinâ Rondeletii, paginâ 41. primus exhibens, inquit: Hujus pulpæ uncia una plùs purgat, quàm unciæ duæ alterius Cassiæ Ægyptiacæ. Quod etiam Casparus Bauhinus in Pinace paginâ 403. annotavit. Ex quibus effulget, Casiam hanc Arboribus purgantibus annumerandam esse, & minimè non purgantibus, ut à Doctissimo Laboriosissimoq; Jonstono factum, cui in Historiâ Naturali de Arboribus, Libro VII, capite 2, articulo 2, paginâ 384. Casia fistula non purgans Brasilienis dicitur.

Insu-

Insuper aliis judicandum relinquo, an Excellentissimus D. Jonstonus, rectè etiam Cassiam Brasilianam Lobelii à Marcgravii separaverit, cumquè Rechii contulerit, quoniam Rechii ea videtur, quæ à Domino Carolo de *Rochefort*, in Historiâ naturali Insularum Americæ descripta, quam tàm diu eandem cum Ægyptiacâ existimo, donec mihi, in quibus discrepet, ostendatur.

FRUTEX PAVONINUS, SIVE CRISTA PAVONIS.

Cap. XXII.

FLores adeò fert elegantes, ut fruticem in Leguminosarum tribu, parem vix ullum, pulchriorem certè nullum aliquis reperiat, si *Florum* pensiculatiùs in tàm concinnâ serie, in spicâ longè patulâ dispositorum pyramidali, examinet ubertatem, eorumq; venustissimum è Regio purpureo ad rubedinem vergentem, cum avidi splẽdore auri intermixtum colorem, quo à luxuriante Naturâ, cùm omnium esset gratiosissima, colorati sunt. Taceo *Stamina* eximia, è floris umbilico admodùm pomposè, formâ superbientis pavonis cristæ erumpentia, quorum similitudinis causâ nomen Cristæ pavoninæ, floribus Fruticis hujus æstimatissimis, à Sinensibus inditum.

Frutex itaq; hic pereximius, cortice lævi, præprimis in junioribus ramis purpuratus, in *Ambon* Insulâ, aliisq; Indiæ locis, ad quinq; cubitorum

altitudinem asſurgit: *Frondibus* purpureis ſpithamæ longitudinis, ſub origine, ſpinam hami modo incurvam habentibus, alternâ vice, adversùs flagrãtis ſolis radios ubertim inumbratus; quæ per certas diſtantias, Suffraginibus quinq;, ſeptem, paucioribus pluribusve, in quolibet latere biuncialibus, ſunt præditæ, purpurei itidem coloris, aculeolumq; etiam purpureum ſub ſingularum exortum monſtrantibus; in harum Suffraginum unaquaq; octo, decem, duodecim, vel quatuordecim *foliola* obſervantur, Coluteæ Scorpioidis venoſiora, pari ſemper numero, ſibi mutuò oppoſita, ita ut nullum ſuffraginis extremum claudat. Hæc *Folia* nimirum, ſicuti & *Frondes* ipſæ, Solem adeò appetunt, ut matutino ſtatim tempore, ſimul ac aureos ſpargit radios, ad illos in gremio ſuo excipiendos promptisſimè ſe expandant, donec, veſperaſcente cœlo, iterum claudantur ac versùs humum vergant, absentiam Phœbi quaſi mœrentia, & debitam floribus admirabilis pulchritudinis, qui Fruticem hunc toto die ſingulari amœnitate decorârunt, exhibentes reverentiam. *Floribus* namq; exornatur incomparabilis ſvavitatis, de quibus plures ſubinde quàm quinquaginta in ramorum ſummitatibus ſpicam longam ſpectabilem efformantes numerare licet. *Illorum qvilibet* triunciali petiolo purpureo, inferiùs juxta ſedem ſpinulâ, & ſuperiùs geniculis ſæpisſimè duobus donato ſuffulcitur, ac Caſſiæ in modum Braſilianæ, in globoſo ante perfectionem celatur *Utriculo*, quinis ex obſoleto purpuraſcentibus compoſito foliolis, quorum infimum carinatum extremâ parte inflexum, velut cucullus,

ſuper

ſuper reliqua minora, reſupinatur, atq; *florem* in illis reconditum tàm diu occulit; donec tandem eo dehiſcente, amœniſsimo ſuo captivo, *Flore* ſcilicet venuſtiſsimo, petalis quinque è purpureo rubentibus & ex aureo fulgore variegatis conſtante, maximâ amicitiâ ita uniatur, ut ſextum & quidem infimum tantùm folium, ſeu carina, ſit habendum. Singulorum in medio florum, *Stamina* ſtant decem purpurea longiſſima, ſurſùm versùs reflexa, flaventes in crocos deſinentia: inter quæ ſtylus cuſtoditur prolixus & craſſus, tandem in *Siliquam* à Piſorum haud multùm recedentem excreſcens, corticoſam, duram, ex purpureo caſtanei ſaturati coloris, intrinſecùs verò albam, ac valvulis ſpongioſis & craſsis ex cinereo ferrugineis, in novem vel decem ſeparatam cellulas; quarum unaquæque *Semen* Ceratiæ ſimile continet, olivacei coloris, cum tempore ex ſpadiceo rufum ſeu fuſcum, circularibus lineis, inſtar Fructûs peregrini tanquam torno elaborati argentei (qui fructus *Inimboi*, Marc.; & *Bonduch* Indorum, Ponæ in editiõ: Ital.) à Johanne Bauhino deſcripti, denſisſimè cinctũ, quod ex pedunculo in margine ſiliquæ ſupremo dependet. Hujus *ſemen* primùm à Domino *Carolo Chyvri* p. m. deinde à *Nobiliſſimo Domino Jacobo Golio*, *Nobiliſſimoq; Domino Arnoldo Syen*, *& Spectatiſſimo Domino Sevenhuiſene* (qui mihi humaniſsimè per literas ſignificavit, in Inſulâ etiam *Ambon* Criſtam pavoninam aureis omninò floribus, coli:) & aliis, maximam partem nomine *Acaciæ Orbis Americanæ alterius*, *omnium pulcherrimo flore*, nactus ſum, ſed germinare admodúm moroſum. At inter Semina, quibus

ILLU-

ILLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUSQVE DOMINUS, DOMINUS HIERONYMUS à BEVERNINGK ex Aulâ Regis Hiſpaniæ, perfunctus feliciter Legatione Anno M. DC. LXXI. in Belgiam redux, gratioſiſſimè me exhilaravit; quædam etiam hujus *Criſtæ pavonis* occurrebant, quorum unum anno adhuc præterlapſo, in aquâ nitratâ aliquot dies maceratum, non ſolùm lætisſimè progerminavit, ſed in arbuſculam etiam pulchram; attamen propter cœli noſtri inclementiam, antè hyemis acceſſum, à frigidis autumnalibus pluviis, cum ingenti meo exſtinctam dolore, exſurrexit.

CHAMÆCRISTA PAVONINA BRASILIANA, SILIQVA SINGULARI.

Cap. XXIII.

PRius quàm Frutex pavoninus mihi innotuit, pulcherrimam ac prorsùs novam *hanc Plantam*, Chamæcaſiam nominavi; aſt poſtquam nomen illud Sopheræ Alpini, Ecapatli Recchi, Pajomiriobæ Marcgravii Rhamno myrti folio Cornuti, eorundemq; congeneribus, competere rectiùs, atq; *Chamæcriſtam* noſtram cum Criſta pavoninâ congruere meliùs comperi, *Chamæcriſtæ pavoninæ* tantiſper nomine inſignire libuit, dum ab alio certiori donetur. Cujus duo mihi obſervata ſunt genera, à nullo adhuc, quòd ſciam, deſcripta.

Primum

Primum, eâdem penè, quâ Mimoſa ſpinoſa ſecunda facie procreſcit, quanquam minus, nec adeò ramoſum, & nullo aculeorum vallo munitum. *Caules* namq; ex ſuâ radice fundit, quadrangulares, rubentes, ſpinarum penitùs expertes; & ad ſingulas foliorum alas, modò in hanc, modò in alteram partem inflexos; ac geminatis latis in acutum deſinentibus, nervoſis, circumq; piloſis auriculatos *appendiculis*; inter quas, *Folia* alternatim exoriuntur palmaria, pennata, ſeu ex innumeris pallidè vireſcentibus *foliolis*, Acaciæ haud parùm æmulantibus, trinerviis, uni coſtæ adnatis ſibi invicem oppoſitis, congeſta; quæ veſperi ita ſeſe complicant, ut accuratè demonſtrat, quam ſculpendam curavi, figura. E foliorum alis, ſolitarius plerumq; tantùm, tener & oblongus exit pediculus, cui *Flos* inſidet amœnus, Sopheræ Alpini quadruplò minor ſubrubicundique coloris, petalis quinque acutioribus compoſitus; cujus in meditullio *corniculum* falcatum, lanugine denſâ hirſutum, ſtaminula inter multa ludit; quod collapſo poſtmodùm flore, hirſutiem ſuam exuens, in *Siliqvam* efformatur pulchram, anguſtam, ſextantalem brevioremve, Criſtæ pavoniæ, ſed nigerrimam, quæ plurimis intùs membranulis, veluti parietibus intergerinis in diverſas concamerationes, ſingulis, *ſeminibus* ſingulis repletis, diſpeſcitur. Concinna ſanè & planè nova eſt Planta, Braſiliæ campos ac colles floriferos diligens, mihi ope *Excellentiſſimi Domini Adolphii Vorſtii p. m.* communicata.

CHAMÆCRISTA PAVONIA AMERICANA, SILIQVA MULTIPLICI.

Cap. XXIV.

ALterum genus, *ſive Americanum Siliquâ multiplici*, venuſtate ac concinnitate priori in multis cedens, *caulem* habet rotundum, ſtriatum, haud inflexum; ramos multos, pilis tenerrimis pubeſcentes, ferentem: horum *alæ*, prioris generis breviores, earumque foliola pauciora ac ampliora, Mimoſæ Spinoſæ ſecundæ foliorum lobulos ſuperantia, & aversâ parte ſubhirſuta: *Flos* dimidiò minor, quàm Braſilianæ, & copioſiùs in ſingulis alarum ſinibus, pediculo breviori fultus; quò evaneſcente, ſuccedit *Siliqva* nigricans, priori anguſtior, magisq; compreſſa, ac in plures itidem concamerationes diviſa, *Semen* continens quale eſt Braſilianæ, ſed minus. In Americana Inſula *Curacao* dicta, oritur.

GENISTA-SPARTIUM COERULEUM, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XXV.

GEniſta-ſpartium *flore cæruleo Æthiopicum*, Geniſtæ vulgaris fermè facie in Bonæ Spei Promontorio naſcens: *Frutex* denſis & crebris eſt ramis, anguloſis, flexilibus, non omninò lanugine

nugine quâdam destitutis, gustu aromatico; quos *Folia* vestiunt unguem humanum ferè longa, angusta, in fruticis inferiori parte, terna simul uni petiolo inhærentia, in superiore verò solitaria, appendiculas juxta basin anguſtissimas Trifoliorum ritu habentia. Ex ramorum Lateribus, nec non aliquando summitatibus, *surculi* densâ lanugine adeò pubescentes, ut canescant, copiosissimè pronascuntur, foliolis incanis ac carinatis, instar Sabinæ penè ramulorum squamati. *Flores* in summis ramulis veluti spicatos, vel acervatim, ex cœruleo purpurascentes, & figurâ quâ Erinaceæ Clusii, gerit; è calyculis striatis guttatisquè, in quinq; segmenta desinentibus, ac Hyperici foliorum instar infinitis propemodum foraminulis, perviis, emicantes. Hosce *Siliquæ* excipiunt exiguæ, perbreves, Scorpii secundi Clusii, sed glabræ, & spadicei coloris: in quibus è fusco spadiceum *Semen*, renis instar formatum, Spartii secundi Hispanici Clusio, perquàm simile, sapore viscido & leguminoso.

Genista-Spartium hoc rarissimum primò apud ILLUSTRISSIMUM DOMINUM HIERONYMUM à BEVERNINGK Anno M. DC. LXIII. vidi, et non ita multò post à Domino Doctore Huyberto, & tandem Anno M. DC. LXXI. à Domino Doctore Slado obtinui.

GENISTELLA SPINOSA AFRICANA, LARICIS FOLIO.

Cap. XXVI.

Genistella Spinosa, quam Caput Bonæ Spei genuit, Geniſtellæ minori aſpalathioidi, Johannis Bauhini, quadantenus ſimilis: *Suffrutex* eſt lignoſus & ſpinis horridus. Qui in multos dispescitur ramos; horum minores incani, in quibus ſpinæ acutæ & tenues ſemunciam longæ, alterno ordine, æquali quodam intervallo, circumpoſitæ cernuntur. Singularum ſpinarum exortui, *Foliola* viridia & tenuia ſubnaſcuntur, numero decem & tredecim, plura pauciorave ſemper conjunctim ex uno tuberculo, ut in Larice, aut Corrudâ tertiâ Cluſii, quibus ſimiliora, prodeuntia. *Flores* verò ſuper ipsâ ſpinarũ ſede, plerumq; ſolitarii, ſæpenumerò etiam bini oriuntur, neque quicquam â Geniſtellæ aculeatæ recedunt. Hi in *Siliqvis* ſemuncialibus & incanis, Spartii minimi montani triphylli Columnæ, non autem mucrone ſurſùm reflexis, *Semina* tria vel quatuor flavescentia Geniſtellæ, relinquunt.

MYRTO-GENISTA CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XXVII.

Myrto-Geniſta iisdem in locis naſcens, arborescens eſt *Frutex*, ramis multis, quorum juniores fragiles & Geniſtæ inſtar anguloſi; quos incondità ſerie dispoſita, nullis intervenientibus pedi-

pediculis ambiunt *Folia* carnosa, Myrti Laureæ foliis similia, vel majora, quorum medium in longitudine nervo sulcatur, ex qvo venulæ complures diffunduntur, quæ omnes extremitatibus suis non procul à folii margine, singulari ordine & serie concurrunt. E ramorum apicibus, & ad singulorum foliorum exortum, petioli exeunt bini, terni aut quaterni, ex quibus *Flores* aureo colore fulgentes propendent solitarii, Genistæ aut Cytisi florum effigiem, repræsentantes; quibus delabentibus, *Siliqvæ* prodeunt longæ & compressæ, Genistæ etiam respondentes, quantùm ex nonnullis minùs maturis colligere licuit.

PLANTA LEGUMINOSA ÆTHIOPICA, FOLIIS RUSCI.

Cap. XXVIII.

VAldè rara, ac prorsùs nova & hæc, quæ an Frutex vel Suffrutex, me fugit, cùm *Ramus* tantùm dodrantalis magnitudinis, mihi visus, ILLUSTRISSIMO DOMINO à BEVERNINGK SUMMO ILLI Botanicæ scientiæ ORNAMENTO & PROMOTORI MAXIMO, cum plantis tribus præcedentibus, è Promontorio Bonæ Spei Annos abhinc circiter XI. transmissus.

Ille porrò lignosus, triangularis (quod à sculptore non expressum) & superiùs in ramulos duos divisus; circa quem sine certo ordine sparsa sunt frequentissima *Folia*, pediculis penitùs

carentia, dura, ſolida, Ruſci æmula, majora autem, & ſi accuratè eadem obſerves, in ambitu leniter ſerrata, anteriùs in mucronem acutiſſimum & pungentem exeuntia, in baſi ſinuoſa, & planè ſicut corculum, quod pingi ſolet, formata, multis nervis ſecundùm longitudinem excurrentibus, pallidi coloris, transverſim venulas multas habentibus notata. *Florum* forma me latet. *Fructus* verò ramorum cacuminibus inſidentes, Siliquæ ſunt teretes, uncialis longitudinis, rigidæ, tumidiuſculæ, membranaceæ & ex purpureo ſpadiceæ; quæ è calyculis, ejusdem coloris & ſubſtantiæ, in lacinias quinque deſinentibus, prominent, Seminibus inanes, nimirum priùs apertæ, quàm â me conſpectæ.

COLUTEA ÆTHIOPICA, FLORE PURPUREO.

Cap. XXIX.

FRutices duo diverſi apud Herbarios, pro *Coluteâ* in lucem editi: alter, Siliquis articulatis, *Colutea Scorpioides* nuncupatus: alter, Folliculos proferens membranaceos, ſpiritu veluti qvodam distendente turgidos, *Colutea veſicaria* dictus. *Illum*, cum Botanico præcellentiſimo Domino Doctore Moriſon, *Securidacæ*: *Hunc* verò *Coluteæ* annumero; licet modò ſit Frutex, nec Arbor procera, ut Theophraſtus Libro III, Capite XVII. Coluteam ſuam deſcripſit.

Non

Non autem mihi est animus de *Coluteâ vulgari*, plura facere verba: cùm hîc in præsentiâ benevolo Lectori, *novum prorsùs genus* ac valdè rarum elegantissimumq; repræsentare constituerim: qvod ex semine Africano, circa Promontorium Bonæ Spei collectum, ante complures annos Amstelodami, in Caroli *Chivry* p. m. Pharmacopolæ & Botanici peritissimi horto feliciter enatum, ac autumnalibus mensibus lætissimè floruit. Ubi ex Radice suâ, *caules* plures, sesquipedales, lignosos, striatos, incanos, medullâ candidissimâ fartos, proferebat, sapore dulci: in quibus hinc inde sparsa erant *Folia*, è compluribus incanis *foliolis*, Ciceris Sylvestris angustioribus, uni costæ quatuor unciarum utrinque inhærentibus, unoque extremam alam occupante, composita: è singulis fermè alarum cavis, *Surculus* prodibat, duorum aut trium digitorum transversorum longitudine; *floribus* Coluteæ vulgaris longioribus, & florido colore ex svave rubente purpurascentibus, â medio ad summum cacumen, in singularem hujus plantæ gloriam decoratus. Quilibet verò illorum florum ex incano, striato, in quinq; segmenta expanso emergebat calyce: ex quo, cùm suum elegantissimum amisit socium, florem nempe delapsum, *Folliculus* Coluteæ vulgaris, admodùm spectabilis, & ob floris pulchritudinem veluti fastu inflatus, tener, membranaceus, pellucidusq;, non sinè magnâ pompâ succrescebat; in quo, *Semina* sicuti in vulgari continebantur compressa, & formâ renis, futuræ folliculi supremæ pediculis brevibus appensa, quæ autem in meũ pluri-

plurimorumque Botanicorum dolorem, ad juſtam perfectionem non pervenerunt.

Cœterum ex hujus plantæ caulium melleo, inſtar Glycyrrhizæ, & tandem ſubamaro ſapore, etiam decimo quinto adhuc, poſtquam collecti erant anno perdurante, calidam qualitatem temperatam, humanæ naturæ ſinè dubio cum felici ſucceſſu convenientem, augurari licet: Folia verò minori dulcedine & amarore majori prædita, calidioris & ſiccioris ſunt naturæ.

COLUTEA HUMILIS
Syriaca, flore violaceo.

RArum etiam *Coluteæ genus*, Syriæ in locis editis propè Halepum occurrit; *Radice* fuſcâ, amplâ, ad Raphani craſſitiem, longitudinemq; accedente: quæ *Coliculos* fundit palmares, terram versùs reflexos, quorum ſupremæ parti, novem aut decem Lentis adhærent *Folia* pennata: Inter quæ *Flores* emergunt Coluteæ Æthiopicæ, aſt violacei coloris inq; orbem diſpoſiti: quos *Folliculi* excipiunt Coluteæ, ſed paulò minores. Hanc in Herbario Rauwolfiano obſervavi, qui eam pro Aſtragalo Dioſcoridis (cui apprimè ſimilis) in Itinerario paginâ 116. deſcripſit.

ASTRAGALUS AFRICANUS,
flore luteo odorato.

Cùm Aſtragali hoc loco facta ſit mentio, prætermittere non poſſum, quin novum quendam, in Barbariâ juxta *Gigeri* ſpontè naſcen-

ſcentem breviter hîc etiam tangam. Hunc primò *Nobiliſſimus Dominus Carolus Sweikerus*, *Scabinus Patriæ & Amicus meus ſingularis*, Monspelio ſiccum transportavit; de quo mihi hoc Anno M. DC. LXXVI. *Excellentiſſimus Dominus Johannes Schmidt*, *Phyſicus & Medicus hujus Urbis longè meritiſſimus*, fructus & ſemina (cum plurimis aliis Monspeſſulanis, Italicis & Africanis ſeminibus) liberaliter impertitus eſt.

Hæc verò *Planta*, *Foliis* gaudet pennatis, Hedyſari clypeati poſitu, ſed multò anguſtioribus, minoribus, magisq; piloſis, in quibus etiam conjugationes longè plures ſupputantur. *Flores* in ſpicam circiter dodrantalem fert, Hedyſari clypeati pariter quà formam reſpondentes, flavos autem & odore cerebrum mirificè oblectantes. Quos *Siliquæ* excipiunt unciales, ſubalbidæ, Coluteæ inſtar tumentes, corticoſæ, duræ, intrinſecùs cuticulâ duplici membranaceâ, in duas diſtinctæ cellulas; in quarum ſingulis, *Semina* tria vel plura, Coluteæ majora, ex glauco ſublutea, ac molli lanuginè albâ pubeſcentia, pedunculis ſuis inferiori ſiliquæ margini adhærent.

Si verò hunc Aſtragalum quis, ad *Onobrychidis Cluſii* claſſem amandare mallet, non abhorrebo ab ejus opinione, cùm hæc Siliquas breviores, magis turgidiusculas, nec adeò falcis inſtar incurvatas ſicut Aſtragalus, ferat.

ASTRAGALO MONSPESSULANO *Johannis Bauhini, vel Onobrychidi primæ Cluſii affinis Syriaca.*

ASTragalus Africanus, mihi *Tragium alterum Dioſcorideum Rauwolfii* in memoriam revocat; de quo hoc tantùm referre lubet, *Plantam* eſſe leguminoſam, *Foliis* Aſtragali Monspeſſulani majoribus, *Floribus* purpureis Onobrychidis primæ Cluſii; & quæ toto cœlo differt â Stœchade Arabicâ, cui velut affinis â Casparo & Johanne Bauhino (Venerandis Botanicorum illis Principibus, qui veluti Gigantes, nos pumiliones, humeris ſuis geſtant, quò nonnihil longiùs proſpicere queamus) adjungitur.

POTERIUM LATIFOLIUM *Aſiaticum.*

QVia *Poterium*, Aſtragali & Onobrychidis non adeò diſſimiles fructus fert, *Aſiatici* hîc *cujusdam*, â nemine adhuc deſcripti, ſed â Rauwolfio in Itinerario pag. 118. nomine Poterii Matthioli paucis tantùm delibati, mentionem faciemus.

Suffrutex hic lignoſus, ac ſesquipedalis eſt, *Virgis* multis lanuginoſis, extremùm versùs magis crasſescentibus in modum Poterii; è quibus *Spinæ* exeunt ſesquipalmares longioresve, ad quas *foliola* multa ut plurimùm oppoſita alligata, Tragacanthæ cùm rigiditate tùm lanugine ſimilia, ſed Senæ formâ & magnitudine, in mucronem autem pungentem terminantia. *Flores* virgarum inhærent ſummitatibus, acervatim densè congeſti, ex calyculis craſſo tomento candido obductis,

ctis, hiantes, quorum verò colorem obſervare haud licuit, cùm plantam tantùm ſiccam viderim, & quidem ſinè floribus apud Dominum *Sevenhuyſen*, cumque floribus in Horto Rauwolfii ſicco, cui Poterium Matthioli, à quo tamen foliorum magnitudine, inque aculeum deſinentium, permultùm differt, atque genus peculiare rariſſimum conſtituit.

Frequens in Palæſtina, & propè *Sidon* reperitur, ac circa Haleppum; ubi auctore Rauwolfio, ab Indigenis *Megaſac* appellatur, & velut amuletum, contra faſcina in ædificiis & in conclavibus ſuſpenditur.

OROBUS AMERICANUS LUTEUS, SILIQVIS INCANIS.

Cap. XXX.

RAra ad nos, ex *Curacao* Inſulâ delata eſt *Planta*, iisdem in locis, Viciæ inſtar naſcens, penitùs autem hirſuta ac incana, caules verò proferens rectos, pedales, cubitalesve: quos *Folia* veſtiunt alata, dena & aliquando duodena, ex adverſo ordine uni rachi biunciali inhærentia; ſingularia verò folia, à Polygalo Gesneri, in eò tantùm discedunt, quòd tàm inferiore quàm ſuperiore parte incana, denſâque lanugine ſint piloſa. *Flores* puſilli Medicæ ſimiles, ex calyculo villoſo, in plumatas cuſpides inſtar Lagopi exeunte, provenientes,

quadrantalibus, immò & longioribus insident pediculis, è foliorum alis exortis, spicam longam efficientes, flavi: quos *Siliquæ* excipiunt incanæ, teretes, uncias ternas longæ, & acinacis in morem contortæ; in quibus multa *Semina*, oblongiuscula, parva, ceu fabeolæ minutæ formata, obscurè cinerei coloris, nigricantibus maculis intertincta, & subdulci gustu, continentur. *Radix* quâ nititur, referente *Carolo Chivry* p. m. (à quo fructus cum Seminibus nomine *Conami* accepimus) eandem fermè vim, quam Cocci Orientales, ad pisces attonitos reddendos, possidere dicitur.

Hanc plantam, nomine Orobi, certâ de causâ hîc proposuimus; tametsi minor ei cum Orobo, quàm Fabis convenientia, & meliùs forsan Astragalo Bœtico Clusii (cujus tamen fructus mihi haud visi) accensèri posset.

FLOS CLITORIDIS, TERNATENSIBUS.

Cap. XXXI.

LEpidissimum sui spectaculum oculis offert, in tantâ leguminosarum copiâ, *anadendras* etiam hæc per se infirma, sed tortilibus virescentibus ramis, proxima adminicula, quæ arripere potest, conscendens *Planta*: quam *Folia* multa ex alterno situ ambiunt, Glycyrrhizæ sylvestris Herbariorum quodammodò æmulantia, minora verò, pulchriùsque viridia, & bina tan-

tantùm, vel terna, ac totidem ex adversò uni coſtæ inhærentia, uno impari extremam alam occupante. E quorum appendicibus, pedicellus tener & parvus, circa medietatem, ubi nonnihil reflexus, foliolis duobus tenuisſimis cinctus, exſurgit, *Florem* ſustinens admodùm magnum, hiantem ac ſpecioſum, quaſi papiliaceum, cujus tamen inferius labellum, ſuperiori folio videtur adnatum. Hic *Flos* ex magno calyce ſubviridi, membranaceo, in quinque lacinias deſinente, & foliola duo rotunda ac membranacea circa baſin habente, prorumpens; tàm ſaturè profundo cœruleo eſt colore, ut etiam multos ſiccus poſt annos, aquam, in quâ maceratur, brevi temporis ſpatio, colore adeò fermè cœruleo tingat, velut *Anil*, quod ex Indiis in Europam transfertur. Floribus labentibus, ſuccedunt (ut fertur) *Siliquæ* longæ & tenues, *Seminibus* formam Phaſeolorum parvorum exprimentibus, refertæ: quorum nonnulla Anno M. DC. LXVII. à Domino *Sevenhuyſen*, cum variis rariſsimis Indiæ Orientalis fructibus atque ſeminibus ſortitus ſum, hâc additâ relatione, Flores Ternatenſibus coctos cibo eſſe, atque *Bokyni Cotelé de Principiſſe Clitoris* vocari.

PLANTA LEGUMINOSA BRASILIANA, PHASEOLI FACIE, FLORE PURPUREO MAXIMO.

Cap. XXXII.

HAud minoris elegantiæ & raritatis eximium hoc *Phaseoli* fortè *genus*, qvod sarmentorum longissimorum beneficio arbores & frutices proximas, sese iis circumvolvens, ascendit. *Hujus* rami juniores, per intervalla unciarum duarum, triumve, *Foliis* tribus oblongis ex uno pediculo, uncialibus vel sesquncialibus ad summum, Terebinthi foliorum instar duriusculis, & admodùm venosis, ornantur: ex foliorum appendicum sinu, petioli exeunt singulares, *Florem* gerentes unicum valdè speciosum, Lathyri Narbonensis facie, sed vel quadruplò majorem, gratioreque purpurâ coloratum, cujus basin calyculus, foliolis duobus membranaceis, rigidiusculis, constructus ambit; & huic alius adhuc calyculus subest, qui medio petioli appositus, & quâ formam, priori similis. Oritur in saltibus & dumetis Brasiliæ.

FOE-

FOENUM GRÆCUM SYLVESTRE POLYCRATION MAJUS CRETICUM.

Cap. XXXIII.

H*Edysarum minimum*, in Historiâ Universali Lugduni excusâ descriptum, & *Fœnumgræcum sylvestre alterum Dodonæi*; â Johanne & Casparo Bauhino, Auctoribus summè admirandis, unâ eademq; plantâ habentur: Si autem figuram utriusq; accuratè consideres, differentiam illarum non exiguam perspicuè observabis. Qvippe *Fœnumgræcum sylvestre alterum Dodonæi*, Siliqvas longiores erectas, folia minùs obtusa & magis serrata, profert: *Hedysari minimi Lugd.* Siliqvæ contrà longè minores, falcatæ & humum versùs dependentes; folia obtusiora minusq; crenata observantur. Qvas ob causas, *Hedysarum minus Lugd.* â *Fœnogræco sylvestri altero Dodonæi* distingvendum; atq; illud, *Fœnumgræcum sylvestre polycration minus Monspelienſe*; hoc *Hispanicum siliquis erectis nuncupandum.*

Duobus hisce, *tertium* in Cretâ spontè proveniens adjungo. Hujus semen ab *Excellentissimo Domino Arnoldo Syen*, Viro in perscrutandis Naturæ latebris maximè industrio, annos ante sex septemve, nomine Vorstiano, *Trifolii falcati Cretici*, mihi transmissum. Ex quo *Planta* enata, ab *Radice* albâ, longâ, in fibras multas divaricatâ, *Caulem* sesquipedalis aliquan-

do

do longitudinis emittens, qui ſtatim propè radicem, in plures ramos virescentes ac terræ plerumque incumbentes dividitur; à quibus alii minores exeunt ramuli, qui ut cæteri, *Foliis* veſtiuntur numeroſis, Fœnugræci Sylveſtris polycratii Monspeliaci paribus, niſi aliquantò majora, cordata, venis eminentioribus prædita, ac per extremum minùs crenata eſſent. Ex foliorum alis, *Floſculi* luteoli, plerumque terni vel bini tantùm, Monspeliaci multò majores, longioribusq; pedicellis innixi emergunt: hi in *Siliqvas* dependentes, falcatas & admodùm venoſas, triplò Monspeliaci majores, *Semina* lutea itidem grandiora, Galegæ non malè convenientia, continentes, abeunt.

In icone, Ramuſculus *Fœnugræci ſylveſtris polycratii minoris Monspeliaci*, ad differentiam Cretici majoris, exprimitur. Qvâ occaſione commemorare non negligendum duxi, Co*ronopum* ex libro *Johannis Bodæi â Stapel* (qvem in Theophraſti Ereſii Hiſtoriæ Plantarum Commentario, Libro VII, paginâ 831. deſcripſit) nihil aliud eſſe, niſi plantulam, foliis orbatam & floribus, ſiliqvulis autem maturis onuſtam, ſæpiùs jam memorati Fœnugræci minoris Monspeliaci: quemadmodum illud in Herbario Bodæi vivo (quod *N. Dominus Carolus Sweikerus*, â Clariſſimo Johanne Antonide van der Linden p. m. ſuis nummis comparavit) clarè obſervavi.

TRI-

TRIFOLIUM COCHLEATUM SPINOSUM SYRIACUM, FOLIIS LACINIATIS.

Cap. XXXIV.

DE *Trifolii cochleati* rarâ quâdam *ſpecie*, circa Haleppum Syriæ inter ſegetes, cum Lunariâ radiatâ Italorum Lobelii, & Trifolio glomerulis tomentoſis per caulium longitudinem Johannis Bauhini, copiosè naſcente, hoc capite agere operæ pretium duxi; quæ etiam non procùl Monspelio Anno M. DC. LXVI. â *Domino Carolo Schweikero* reperta, mihique cum aliis Monspesſulanis compluribus plantis ſiccis & ſeminibus allata.

Radix humum non admodùm profundè nixa petit, alba & fibrata: â quâ *Cauliculi*, lignoſi, rotundi, virides, pedales vel etiam cubitales, in terram reclinati, plurimis præditi ramis, prodeunt; in quibus hinc inde ſparſa ſunt *Folia* anguſta, terna ſemper uni petiolo longo inhærentia, dilutè viridia, Medicæ fruteſcentis, ſed profundiùs ſerrata, vel potiùs laciniata. *Flores*, ex foliorum alis, in oblongo pediculo, frequenter bini tantùm ſimul enaſcuntur, flavi coloris, â Trifoliorum cochleatorum floribus nihil differentes: quibus *Fructus* cochleæ modo circumvoluti, longis & rigidiuſculis ſpinulis exaſperati, *Trifolii cochleati fructu ſpinoſo majore*, ſed dimidiò minores ſucce-

dunt; *Semina* flava, compressa, renis instar formata continentes.

Et quanquam hæc *Trifolii cochleati species*, novis & incognitis annumeranda plantis; attamen in Rauwolfii Hodæporico, parte primâ, Capite IX, paginâ 118. sub nomine **Ein Medica mit gespaltenen Klee-blätlein**/ qvamvis sine descriptione & absq; icone, jam indigitatam comperio. Qvam in Herbario etiam vivo dicti Rauwolfii, apud *Isaacum Vossium Philosophum Clarissimum* (qvi nisi me fallit memoria, à SERENISSIMA REGINA CHRISTINA SVECORUM dono illud acceperat) Anno M. DC. LXIII. adeò pulchrè & curiosè siccatam, ac si eodem collecta fuisset anno, conspexi.

TRIFOLIO AFFINIS INDIÆ ORIENTALIS XANTHII FACIE.

Cap. XXXV.

ANno à Christi Nativitate M. DC. LXXII. *Johanni* **Brayne** Patrueli meo, ex Indiâ, *Rami* aliquot cujusdam (ut credo) Fruticis, qui Indis *Daon Lacat Lacat* appellari perhibetur, missi. Quorum *unum*, cum ramulo suo laterali, æri incisum Centuriæ huic inserere placuit. *Is* pedalis ferè est longitudinis, lignosus, sed valdè tenuis; cortice incano, subviridi, & quibusdam in locis obsoletè purpurei coloris, tectus. Huic, alternâ serie, adnata sunt

Folia

Folia novem, pediculis longis appensa, tenera, lata, anguloſa, leniter crenata & præſertim ſubtùs incana, Xanthii quodammodò æmula, vel mediam quandam figuram inter pampinea & Roſæ Sinenſis folia obtinentia; in quorum ſingulis, ab ipſo ſtatim pediculo, coſtæ ſubvirides pallidæq; ſeptem expanduntur, & ex illis cunctis alii quidam nervi, venas plurimas, cum tenerrimis fibris, in foliorum carne latentibus, fundentes. Cæterum, è ſingulis penè foliorum alis, *Fructus* emicat, è petiolo parvo prodiens, qui baſin plurimorum foliorum ſtellatam habet: hic *fructus* conſtat quinq; conceptaculis lapaceis, cinerei coloris, Trifolii ſubterranei, tricocci, Regii, *Moriſoni*, ſeminum involucris fermè æmulis, niſi quòd duplò majora, dura ac pilis rigidis quaſi aculeata; horum quodlibet perfectum à ſummo finditur, & *Semen* unicum Anonis montanæ præcocis purpureæ frutescentis, *Moriſoni*, magnitudine, formâ, colore, & brevi incanâq; lanugine, perſimile continet.

SISYRINCHIUM EX PHOENICEO SVAVERUBENTE FLORE ÆTHIOPICUM.

Cap. XXXVI.

LEguminoſas meritò *Siliquoſæ*, *Siliculoſæ* & *Capſulares* ſubſeqvi deberent, cùm autem ordine, in hâc Centuriâ, nullo accurato, ob de-

fectum fructuum seminumq; Plantarum plurimarum, uti potuerim: & *Bulbosas qvasdam exoticas*, qvarum fructus & semina me adhuc fugiunt, in promptu habeam; in medio easdem collocare placuit: præprimis cùm inter *Bulbosas*, quædam *Siliquosæ*, multæq; *Capsulares* habeantur. Agmen ergo inter has ducet *Sisyrinchium hoc egregium*: Qvod altitudine plùs quàm pedali assurgit, *Bulbum* possidens rotundum, Croci, aut Sisynrichii Indici Cornuti, cortice ex fusco cinereo & filamentoso obductum: è qvo *caulis* viridis, ut existimo carnosus, exsurgit, *Foliis* partim longissimis, partim brevioribus, angustis, nervosis, vegetissimâ viriditate coloratis, in modum ferè Sisyrinchiorum Clusii amictus; cujus superior pars, Papaveris erratici instar hirsuta, *Florem* suâ venustate aspectum delectantem suffulcit, Croci, aut Sysirinchii Asprensii Columnæ grandiorem, foliis sex tenerrimis, è carneo & phœniceo nec non dilutè rosarum purpurâ blandè rubentibus, ad ungvem croceis, congestum; cujus in medio stylus qvadrangularis, crassus, phœnicei coloris occultatur. Atq; hæc, qvantum ex icone ab ILLUSTRISSIMO DOMINO â BEVERNINGK transmissâ summoq; studio suis coloribus, ad plantam in Horto ejus floribus decoratam, adumbratâ, observare potui. Nec enim pulcherrimum hunc Æthiopicarum, non procul â Promontorio Bonæ Spei remotarum solitudinum incolam lustrare fortuna dedit.

Aliud adhuc *Sisyrinchium* eodem in Horto (quod an lusus tantùm naturæ, an verò peculiaris fuerit species, me latet) efflоruit; priori per-

persimile, nisi quòd *Florem* rubedine tristiori & obsoletiori infectum, & languido collo deorsùm dependentem, velut Polygonati ramosi flore luteo Cornuti, pari quoque formâ & convolutis foliis, proferebat.

Placuit aliquando EXIMIO MÆCENATI meo, in nunquam satis mihi æstimandis Literis suis nunciare, monstrare se in instructissimo Horto suo, *Sisyrinchii quoddam genus Capitis Bonæ Spei, floribus superbiens candidissimis*, idque depictum mihi transmittere animus *Ei* fuerat, sed quoniam flos, pro more Sisyrinchiorum Clusii admodùm fugax, & vix spectatus, voluntarium statim properaverat ad sepulchrum, intentionem ejus summo meo dolore sufflaminavit.

SISYRINCHIUM RAMOSUM ÆTHIOPICUM, FOLIIS PLICATIS NERVOSIS ET INCANIS, RADICE TUBEROSA PHOENICEO.

Cap. XXXVII.

ANno M.DC.LXVIII. BENIGNISSIMO ILLI Botano-sophorum PHOEBO, ILUSTRISSIMO DOMINO à BEVERNINGK, integram cistam *Bulbis Tuberibusque variis*, in Promontorio Bonæ Spei jussu suo collectis, refertam, ex singulari benevolentiâ, donare mihi allibuit: in quâ non tantùm *Radices* illarum Plantarum, quas in sequentibus quatuor

capitibus descripsi, unà cum Ornithogali Indici Swertii, Narcisi Indici punicei gemino latiore folio, Narcisi Indici liliacei, Narcisi Indici flore liliaceo sphœrici, à Ferrario jam Posteritati in sempiternam nominis sui memoriam propositi; sed aliarum adhuc plurimarum rararum prorsùs ac novarum occurrebant. Præprimis autem *Tubera* quatuor, ob colorem suum sangvineum, in teneris etiam jam prognatis germinibus Coralli æmulantem, mihi arridebant.

Horum quodlibet, Iridum quadantenus simile, vix sescunciam in longitudine, ac pollicem transversum in latitudine contingens, formâ non adeò inconvenienter Cygni corpus repræsentabat; substantiâ carnosâ, ex phœniceo croceâ, lentam mucilaginem continente, & cuticulâ firmiter inhærente, tenui, sangvineâque contectâ, cui insuper cortex, colore & substantiâ Colchici similis obductus fuerat, jam resolutus, quò sangvineus perpulcher radicis color, sinè impedimento meliùs oculis lustrari posset. Eâ enim *Radix* hæc est naturâ, ut illo, quò planta optimè augetur tempore, imminuta, venustissimum coloris splendorem deperdat, formamque suam in pedis figuram convertat, sub quâ emissas inter fibras nova propago (ut seorsim picta edocet radix) tandem procrescit.

Tubera hæc, cùm mense Julio terræ commisissem, unumquodque paucos post dies, *Folia* octo aut decem producebat, pollicaria, palmaria, vel etiam pedalia, Iridis facie, & quæ eò etiam modo in latum expansa, mutuoque se amplexando nascebantur, obscuriùs autem viridia, incana, hirsuta,

hirsuta, nervosa, plicata, & ab imo ad medium usque carinâ amplâ prædita: è quorum medio, non meo quidem in horto, sed in Floræ amœnissimo nobilique Pandocheo, apud ILLUSTRISSIMUM DOMINUM, DOMINUM â BEVERNINGK, *Caulis* pedalis, rotundus, viridis & hirsutus effundebatur, parte inferiori rubicundus; imâ medietate geniculatus, singula genicula folio angustiore breviorequè cincta, supra verò pluribus ramis (quorum quemvis circa basin, longum angustumque comitabatur foliolum) brachiatus: quos Sysirynchii Theophrasti Columnæ pares, sed grandiores duplò ornabant *Flosculi*, sex foliolis purpureis, aliquâ flavedine ex phœniceo colore intermixtis, forisque leniter hirsutis, constructi. His marcescentibus, *Fructus* enascebantur quidem trigoni, nec tamen ut Sysirynchii Columnæ oblongi, sed Hyacinthorum in modum subrotundi, qui perfectionem debitam non assecuti, virides erant & pilis brevibus, velut caulis foliaque hirsuti, intrinsecùs verò glabri, in tres separati partes, singulas *Semina* singula tantùm complectentes; quantùm ex fructu sicco enucleare licuit.

GLADIO-

GLADIOLUS AFRICANUS, RADICE TUBEROSA, CEPÆ FOLIIS.

Cap. XXXIIX.

GLadiolorum in Promontorio Bonæ Spei vigentium, genera mihi tria innotuêre.

Primum, Gladiolus Æthiopicus flore coccineo, à Cornuto vocatum: quod Anno à Christi Redemtoris nostri Nativitate sexagesimo tertio supra millesimum & sexcentesimum, copiosissimè, caulibus etiam ramosis, Mense Octobri & Novembri, in horto publico Amstelodamensi, nec non *Domini Johannis Commelyn* rarissimis plantis instructissimo, florens vidi.

Secundum: Bulbo cinereo & longè minore nititur: *Foliis* atque caule multò brevioribus: *Floribus* amplioribus brevioribusque, colore eleganter violaceo. Cujus effigies cum descriptione in Centuriâ secundâ, nomine *Gladioli Æthiopici minoris, flore violaceo*, sequetur.

Tertium; de quo hîc agemus, novum planè ac peculiare genus est, à Gladiolis omnibus, maximè diversum. Tuberosâ namque constat *Radice*, crassâ, penè pugillari, fuscâ foris ex cinereo cum aliquâ flavedine sordescente, intùs carnem solidam cerini coloris habente, in superiore parte colliculi instar subrotundè elevatâ, ac fibris multis ex imâ circulari fermè planâque basi diffusis: de quâ binæ radices plerumque ita conjunctæ, ut facili tamen negotio separari

parari posſint. *Folia* ex colliculorum verticibus prolixa emittit, Cepæ vulgaris formâ, colore, ac magnitudine ſimulantia, concava, aut materiâ levi, ſpongiosâ, ut & ſpumâ quâdam glutinoſi ſaporis, farcta; hæc folia tenues veluti glauci coloris halitus ſuffundunt, qui lævisſimo tactu deflorantur: horum primùm emergentia, inferiore parte incumbunt terræ, ſuperiore autem eâ ſe erigunt figurâ, ut cornua penè tauri repræſentent. *Caulem* (ut ferunt) impellit rotundum, foliis minoribus veſtitum junceis, & *floribus* ſvaverubentibus cacumen onerantibus denſisſimè ſpicatum: hi, Gladioli Æthiopici Cornuto, dimidiò breviores, nec eo modo incurvati, in medio ſtamina apicibus luteis donata, complectentes, è calyculo binorum foliolorum membranaceo Cannæ Indicæ, progenerantur. Figura partim juxta imaginem ab ILLUSTRIS: DN: â BEVERNINGK, transmisſam, partim juxta plantam in horto meo ante annos ſeptem vel octo virentem, partim deniq; juxta ſiccatum ramum floribus onuſtum, confecta. An *Radix tuberoſa Promontorii Bonæ Spei collo eximiè craſſo, Swertii?*

BULBUS OBLONGUS ÆTHIOPICUS, FOLIIS GUTTATIS ET CILII INSTAR PILOSIS.

Cap. XXXIX.

EX florifero Africæ horto, Capite Bonæ Spei, ubi Æolus furens venuſtam illam

Æthiopicam Floram ſibi conjugavit, & uterque ſedem fixit, *Bulbum* accepimus rariſſimum, Narciſſorum aliquâ ex parte ſimilem; niſi quòd ſesquipalmaris erat propemodùm longitudinis, ad proportionem haud craſſus, fibris autem validis imâ baſi Hyacinthi inſtar muſcarii diffuſis. *Hic* in BEVERNINGIANO Horto, *Folia* quinq; (in meo duntaxat tria) proferebat glabra, craſſa, carnoſa, in mucronem parumper exeuntia, ſupinâ parte ſaturè viridia, pronâ dilutiora, quinque vel ſex uncias longa; ſed ne duas quidem lata, nimirum circiter medium, ubi latiſſima; quæ confracta, ſubamarè nauſeabundum odorem (quamvis Sapor ſingularem amaritiem haud præ ſe ferret) atque ex venularum cavitatibus in carne delitescentium, tenuiſſima araneæ inſtar ſubtilia ſtamina in modum Eriophori Peruviani præbent. Digna verò ſpectatu hæc folia reddebant margines, pilis ſubrigidis, ſpadiceis, duplici ſerie, admodùm curioſè & ferè ita fimbriati, ut pro cilis, innumerabilium in alterâ folii parte apparentium guttularum ſive ocellorum haberi queant: velut Argum quendam, plantæ hujus radici & flori, Africana præfeciſſet Flora. Qui tamen radicem ſuam, à Solertiâ BEVERNINGIANA, quâ per Neptunum in Europam deducta, cuſtodire haud potuit: quanquam *flores* in Horto etiam ILLUSTRISSIMI à BEVERNINGK omnium cultiſſimo, hactenus occultaverit; quorum tamen formam Mæcenatis noſtri gratiâ, cui hanc etiam figuram acceptam ferimus, me cogniturum ſpero.

BUL-

BULBUS LILIACEUS VOMITORIUS, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XL.

RAræ huic plantæ, propter bulbi effectum, (de qvo jam in Miscellaneis Curiosis Medico-Physicis Academiæ Naturæ Curiosorum, Anni quarti & quinti, Observatione CXXXIV, paginâ 143, nonnulla proposuimus) *Bulbi vomitorii* nomen tribui, inprimis cùm fructus & semen mihi non visa, neque ex florum figurâ, ad quam plantarum classem propriè pertineat, colligere potuerim.

Quantum autem observare licuit, comperi ejus *Bulbum* Lilii miniati Byzantini valdè similem, nisi quòd plerumque major, & ex majoribus, crassioribus, saporis initiò viscidi & aquosi, mox autem acerrimi ac linguam instar Ari fermè vellicantis, purpurascentibus squamis compactum; in quibus soli obversis, punctula obscurè purpurea densè insperſa, & lineolæ quædam per longitudinem excurrentes, cernuntur. Hic *Bulbus*, Anno millesimo Sexcentesimo sexagesimo octavo, meo in horto, toto æstatis autumniq; tempore, sinè caulium exortu, sinè floris ostentatione ignavus atque inglorius latuit; præter quòd luxuriantibus tantùm foliis, Lilii foliorum colorem, formam & totum habitum æmulantibus, sed longè anguſtioribus, infeliciter silvescebat: quorum læta seges, flo-

rum etiam ſubſequenti anno, Liliorum more, ſpem mihi fecit, quam tamen inſolitum ſubſequentis hyemis frigus (quod hanc omnesq; meas rariores exſtinxit plantas) planè decollavit. BEVERNINGIANUM autem veluti hortorum plantis rarioribus abundantium Miraculum, floribus liberalisſimè non deſtitit ſuis exornare; ubi *Scapum* ex bulbi centro teretem, diluto virore albicantem, bipedalem ſesquicubitalemve impellebat, *Floribus* creberrimis ex ſubviridi albeſcentibus, à tertiâ inferiùs parte, ad apicem uſque, in ſpicam longam congeſtis, decoratum. Quorum nondum aperti, immaturis Hyacinthi flore albo floribus ſimiles, reliqui autem folia ſua tàm mirâ & variabili explicabant formâ, ut numerum eorum figuramq; enucleare haud valerem: in quorundam umbilico, Stylus longus, qvadrangularis, antè obtuſus & velut reſectus; in aliorum è contrario, reflexus, & qvaſi ex multis, orbicularibus arctè conjunctis globulis conſtructus, apparebat. Cœterum an foliola illa laciniata, in parte florentis ſcapi inferiore, flores vel ſaltem eorum appendices relicti fuerint, certò pronunciare non poſſum, cùm nunquam ſcapus mihi floribus onuſtus, conſpectus ſit; deſcriptio enim ad imaginem ILLUSTRISSIMI DOMINI à BEVERNINGK (quæ noſtræ etiam figuræ præluxit) compoſita.

An *Bulbus ruber Promontorii Bonæ Spei adhuc incognitus ſqvamoſus, Swertii*; quem ſinè deſcriptione, ſinè foliis atq; floribus, paginâ 66. lib. primo tantùm expreſſit? & an affinitatem quandam

dam cum Scillâ habeat? Philobotanis curioſioribus occaſione fortè aliquâ ad hanc plantam accuratiùs examinandam oblatâ, judicandum relinquo.

ORNITHOGALO AFFINIS RADICE TUBEROSA, CYCLAMINIS FOLIO, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XLI.

NOn minoris raritatis *Ornithogalo affinis hæc*, quæ *Radice* nititur tuberosâ, craſsâ, pugnum penè æquante, coloris purpurei obſoleti, infrà in tubera alia, ut futuros hæredes diviſa. Ex quâ, *Folia* inter Cyclaminis & Dracunculi paluſtris mediam faciem obtinentia, petiolis longis ſuffulta prodeunt, atroviridia: inter quæ *caulis* ſesquipedalis rotundus, viridis, gracilis & penitùs nudus exſurgit; quem â medio usque ad extremum apicem, confuſo ordine, ambiunt longi pedicelli, *Floſculos* parvos ab Ornithogali Hiſpanici minoris Cluſio haud multò diverſos ſustinentes, ſenis, è candidulo cœruleis & ſubviridibus foliolis obſoletis, conſtantes. Hos ſinè dubio etiam ſeqvuntur *fructus* & *ſemina*, de quibus tamen nihil percepimus: cùm ſolùm floribùs BEVERNINGIANUM Hortum nobilitaverit, unde *Tuber*, cum *Plantâ ſiccâ*, & *icone* (ad quam noſtra confecta) ex liberalitate Illuſtriſsimi Mæcenatis obtinuimus.

ORCHIS CERCOPITHECUM EXPRIMENS LUSITANICA PRIMA ET ALTERA.

Cap. XLII.

NAtura in Plantarum formatione ſicubi laſciviam ſuam prodidit, eam certè in Orchidibus commonſtratam ivit, quorum Flores maximâ cum admiratione, nunc in formâ Aviculæ, Lacertæ & aliorum inſectorum; nunc in Viri, Mulieris, & quidem vel auſteri pulli alicujus Martii, vel riſum moventis morionis; nunc in Teſtudinis ignavæ, & melancholici Bufonis; vel in celerrimæ jucundas affanias propinantis Simiæ, ita elaboravit: ut ſi non ad riſum movearis, ad ſummam certè admirationem inciteris. Cauſas verò admirabilis prædictæ Orchidum florum metamorphoſeos quòd concernit (quanquam illæ, meo quidem judicio, adhuc ſacro involucro à Natura tegantur) Lectori curioſo ad palatum, placuit hic loci ipſiſſima Athanaſii Kircheri apponere verba, ita in Mundi ſubterranei, Tomo ſecundo, Libro duodecimo, Sectione primâ, capite IX, paginâ 349, ſeſe habentia. Obſervatum fuit ab „iis, qui pecorum, armentorum, & equorum „curam habent, poſt commiſſas ad propagi„nem animantes, ubi congreſſus factus fuit, „ſequenti anno campum illum Orchidibus ſive „Satyriis luxuriare, non aliâ de causâ, niſi „quod ſpermaticus humor ſuperfluus humo

ſparſus

ſparſus & unà cum terreſtri ſucco fermentatus,, tandem in hujusmodi herbas adoleſcat, quod,, idem contingere ajunt ex ſemine cadaverum,, tùm hominum tùm animalium, qui in campis,, vel occiduntur, vel infirmitate quâdam mori-,, untur. Quòd ſi res ita ſe habet, quid mirum,, eſt, ſemen terræ conditum tanquam intra ma-,, tricem, ibidem paulatim plantam prorsùs e-,, jusdem facultatis, quâ pollent animalia, ex,, quorum ſemine deciſum eſt, educere; unde,, non immeritò à virtute, quâ ad Venerem inci-,, tant, Satyria vocantur, videlicet à *Satyrorum*,, fabuloſorum ſalacitate: cùm enim Natura,, otioſa ſtare non poſſit, ſemper aliquid moli-,, tur & fabricat, & pro conditione ſeminis ad-,, ſcititii plasmat; Cum itaq; in ſemine anima-,, lium virtute omnia inſint animalis membra,, ut ſupra diximus, illaque paulatim calore u-,, teri evolvantur in perfectam animalis fabri-,, cam, vi plaſticâ ad ſingula membra efforman-,, da negotiante; quid mirum inquam eſt, ſe-,, men ſive hominis, ſive animalis intrà con-,, gruam proportionatamq; terræ humidæ ma-,, tricem receptum, ibidem quoq; ſi non perfe-,, ctum animal, quod ultra ejus vires eſt, ſaltem,, aliquid analogum ſive animali, ſive homini,, quoad membra, veris non abſimilia moliatur,, & effingat unà cum facultate ſemini propriâ,, ad Venerem excitativa; Accedit, quòd hujus-,, modi herbæ ferè omnium primæ ſint, quæ,, verno erumpunt tempore, eò videlicet, quo,, & animalia pleraque œſtro libidinis inſtimu-,, lantur. Certè Naturâ ita comparatum eſt, ut,,

ad

„ad similia fabricanda non operetur, nisi ope „ejus seminis, quod in perfectis animalibus, un- „de decisum fuit devectumque, primò inexsti- „tit: Quòd verò præter humani corporis mem- „bra, multas alias producat in dictis Satyriis „variorum insectorum figuras, id diversitati se- „minum adscribendum est; si enim equinum „semen intrà terram cadens, in dictam herbam „adoleverit, cùm Natura perfectam equi figu- „ram ultra vires suas producere non possit, ex „virtute seminis, saltem similem iis insectis, „quæ ex equo vivo nasci solent, id est, vespa- „rum figuram efformat; si verò bovillum sper- „ma Orchidem produxerit, non bovis sed apis, „quarum origo ex bobus est, figuram delinea- „bit, uti in Orchide apiformi patet, & sic de „cœteris; quòd enim in differentium Orchi- „dum floribus nunc pulicis, modò cimicis aut „pediculi, jam muscæ figuræ spectentur, id „certè non nisi ex spermatica virtute eorum „animalium, ex quibus talia nascuntur insecta, „contingit. Si quis tamen sagaciùs omnia ex- „ploraverit, semper quoq; in iis quidpiam ei „animali, ex quo decisum fuit, conforme re- „periet. Apes ex bovillo genere nasci, omni- „um tàm veterum, quàm modernorum Scri- „ptorum autoritate patet: Siquidem teste *Var- „rone*, *Plinio*, *Virgilio*, non ex fimo tantùm bovi- „no, sed & ex ejusdem tabido corpore apes „nascuntur, ajuntq; in Ægypto loca quædam „esse, ubi si defodiatur taurus, ita ut cornua „tantùm supra terram emineat, eaq; deinde ser- „rà amputentur, apes cum tempore avolent.

Verùm

Verùm Doctisſimi hujus Viri ſententiam ſuo in pretio, ac Lectori judicium, relinquo, ad deſcribendas Orchides quasdam novas accesſurus.

De his primùm nobis occurrit, *Orchis Cercopithecum exprimens Luſitanica prima*, geminas agens *Radices*, teſticulorum modo efformatas, unam plenam, alteram marcidam, radicum inſtar Orchidis Anthropophoræ alterius à Columnâ deſcriptæ, quibus planè etiam conveniunt; ſuprà quas fibræ aliquot expanduntur, foliolis adhærentes perbrevibus, caulis imum velut folliculi complectentibus. Ex foliolis dictis, *Folia* enaſcuntur liliacea, nervoſa, per ambitum undoſa, Orchidis Anthropophoræ alterius Columnæ, admodùm reſpondentia; inter quæ caulis effertur pedalis, minoribus foliis ſeptus, cujus ſummum innumeri *Flores*, ex purpureo rubentes, in ſpicam denſam diſpoſiti, exornant. Hi *Flores* adeò raræ & mirabilis ſunt formæ, ut primo intuitu Milites è Draconis à Cadmo proſtrati dentibus enati; quòd ſi verò accuratiore judicii lance examinentur, Cercopes à Jove, ob fraudulentiam animi in Simios transformati, eſſe credantur: Singuli autem horum *Florum*, è pediculo ſubviridi, toroſo, contortoque, foliolum ſub ſede acuminatum habente, pendent; & ex *galeâ* è purpureo rubente, foliolis tribus acuminatis, nervoſis majoribus, quibus interjecta bina minora, conſtant; in quâ ponè calcar cernitur, infrà verò foliolum ſive *labellum* longum, galeæ inſtar coloratum, punctulis purpureis inſperſum, quod brachiis, cruribus, caudâ & in ſuperiori inſuper parte, per extuberatio-

nem ſubviridē carnoſam, tanquam capite monſtroſo, ita inſtructum, ut Cercopitheci effigiem veluti umbra repræſentet. Exacto Cercopithecorum vegetabilium horum tempore, pediculi eorum tandem intumeſcentes, in *Siliqvas*, maturitate ſecundùm longitudinem, rimis Helleborines in modum dehiſcentes, & *Semine* exiguo ſcobis inſtar ſe exonerantes, excreſcunt.

Differt hæc ab *Anthropophoræ alterius Columnæ* Flore quà corpus anguſtiore, cruribus latioribus & minùs expanſis, ac caudâ etiam longiore.

Orchidis hujus pulchræ, aliam adhuc ſpeciem, BEVERNINGIANO in HORTO, & Domini *Sevenhuyſen*, conſpeximus; à primâ nihil discedentem, niſi *Floribus*, quorum labellum brevius, brachiis brevioribus, brevioribus itidem anguſtioribusq; atq; expanſis magis cruribus dotatum.

Notandum: Flores in icone, galeis diductioribus ſunt expreſſi, quò eò meliùs eorundem forma pateat: Flos autem inferior, latitudini caulis impendens, eâdem, quâ flores facie naſcentes, ſe repræſentat.

ORCHIS APEM REFERENS LUSITANICA.

Cap. XLIII.

QVàm ſpectatæ pulchritudinis, ac raritatis, priores duæ ad Moriones & Stratemaiticas pertinentes etiam ſint Orchides: ab hâc tamen & reliquis, quæ ſequentibus duobus capiti-

capitibus continentur, permultùm venuſtate mirabilique ſtructurâ ſuperantur.

Hanc verò *Orchidem apiferam* quòd attinet: ex *Bulbo* geminato, Serapiadis ſecundæ Dodonæi, ſapore ſubdulci & viſcoſo, *Folia* quædam anguſta ſtriataque, Teſticuli vulpini ſecundi ſphegodis à Lobelio deſcripti foliis ſimillima emittit; atque *caulem* ſesquipalmarem, longioremve, binis vel ternis minoribus foliis circumjectum: cujus ſummo, *Flores* tres, quatuor quinive inſunt, calcaribus Orchidum plerarumq; Serapiadum de more omninò deſtituti, *galeam* habentes, è foliolis tribus grandioribus, & duobus anguſtioribus brevioribusq; albicantibus, vel carneis, immò & purpuraſcentibus, conſtructam: ſub quâ *extuberatio* quædam craſſa, carnoſa, ſubviridis, formâ ex ovo prorepentis aviculæ, oculis eminentibus & roſtro craſſo adunco, curiosè adeò & lepidè ſe oſtentat, ut illâ contemplatione non modò digna; ſed ſola etiam ad pretium atq; admirationem flori huic conciliandam ſufficere videatur: niſi gloria ejus maxima in dependente veluti holoſerico leniter & breviter villoſo, ferrugineo, (aut ex cinereo ferrugineo obſoleto) ac ventrioſo conſtaret *labio*; quod Apis mellificantis cadaverculum, magnitudine & figurâ tàm exactè, tamque repræſentat venuſtè, ut propter beſtiolæ dulciſſimæ ſpiculum, plantæ flores attingere verearis.

Hæc amœna *Orchis*, ab *myode*, *galeâ & aliis herbidis*, *Johannis Bauhini*, in multis discrepans; Theſaurum ſuum acceptiſſimum, in HORTO BEVERNINGIANO ſeriùs aliquantò, quàm priores Orchides & ſequentes aperiens;

varias inibi ſpecies offerebat: quarum nonnullarum *flores*, lituris ſive notis luteis pulchriſq;, & quibusdam prætereà circulis ejusdem coloris partim uno, partim duobus venuſtè adeò ornati, ut mutabilem Protei vicisſitudinem in iis non ſinè ſtupore atque admiratione ſingulari liceat perluſtrare.

Floruit etiam quædam hujus Orchidis ſpecies, Anno M. DC. LXV. in *Ampliſſimi, Magnifici Domini*, BENJAMIN Engelken *Conſulis Patriæ*, nec non *Patroni* mei *inſignis*, Horto.

ORCHIS MUSCAM MAJOREM COERULEAM REPRÆSENTANS.

Cap. XLIV.

IN tantâ Orchidum varietate, oculos ſufficiente quoq; voluptate ſatiat *Hæc*: quæ *radice, caule* & *foliis* à priore Apem referente, nihil aut parùm differt. *Flos* verò discrepat multùm; namque ejus *galea*, foliis ſubviridibus, anguſtioribus conſtat; *extuberatio*, quæ galeæ ſubeſt, carnoſa, non adeò diſtinctè aviculam exprimit; & *labium* hirſutum ſaturè cœruleum, perbellè ſplendens, pilis circum margines fimbriatum ſubrufis, Muſcam majorem tàm accuratè repræſentat cœruleam, ut non tantùm in admirationem ſummam rapi Spectator; ſed facilè etiam decipi queat, quò putatitiam hanc ſordidam muſcam, à plantâ abigere allaboret.

ORCHIS

ORCHIS MYODES LUTEA, ET FUSCA, LUSITANICA.

Cap. LXV.

ORchis myodes lutea Narbonensis Lobelii, Botanophilis omnibus perrara ac elegantissima æstimata, *nostræ Lusitanicæ* tamen *floribus* palmam concedere cogitur; Lobelii aliàs non malè respondentibus; exceptò, quòd eorum *labellum*, Fucum majorem luteum repræsentans, latius, brevioribus atque obtusioribus, quàm Lobelii, laciniis præditum, intensioreq; aureo colore tinctum, ac maculâ in medio holosericâ villosâ, majore, magisq; purpureâ & spectabiliore est donatum: *extuberatio*, galeæ ex flavo viridi, subnata, aviculam longè crassiorem, ac Testiculi apud Lobelium vulpini majoris refert.

Alia adhuc ejusdem, eaq; prorsùs nova habetur *species*, cui *Orchidis myodis flore fusco*, sive, *Scarabæum exprimentis* nomen imposuimus. *Thyrsum* hæc emittit aliquantulò altiorem, colore obscuriùs virescenti, *foliis* nonnunquam latioribus interceptum; cujus summo *Flores* insunt nonnihil subinde majores, cœterum ab Orchidis myodis luteæ florum figurâ penè nihil, aut parùm recedentes, præter *foliolum* holosericum demissum, quod pulli seu fuliginosi coloris, Scarabæum meliùs, quàm Fucum exprimere videtur.

Nascitur cum præcedentibus spontè in Lusitaniâ; unde transportatas summo studio in Hor-

to ſuo alendas ILLUSTRISSIMUS MÆCENAS noſter curavit. In quo, Anno M.DC.LXIV. flores abundantisſimè ostentantes, Majo Menſe & Junio, inſigni cum delectatione vidi. Ibidem inter alias quàm plurimas partim jam deſcriptas, partim planè novas, quandam etiam *Orchidi Anthropophoræ Oreadi Columnæ valdè ſimilem Luſitanicam* obſervavi: cujus *Floſculi*, quà brachia, quà crura breviores, figuram fœminæ non tamen adeò perfectè reddebant.

Tandem Orchidum Hiſtoriam finiemus, leniter adhuc tactâ *Orchide, radice repente maculatis foliis*, in opacis Caſſubiæ ſylvis, quamvis rariſsimè naſcente: Hæc ab Orchide radice repente Camerarii, in eo tantùm diſtingvenda, quòd folia maculis pallidis ſeu ſublutei coloris, teſſellatim diſpoſitis, perbellè ſint variegata: ſed de hâc in Viridario meo Boruſſiaco plura.

OXYI AFFINIS PLANTA BULBOSA AFRICANA, FLORE PURPUREO MAGNO.

Cap. XLVI.

RAriſsima hæc è Promontorio Bonæ Spei in Belgium transportata Hoſpes Anno M.DC. LXVII. in Horto BEVERNINGIANO omnem laudis adoream excedente, ILLUSTRISSIMO DOMINO CULTORI in nutricationis gratiam, *Florem* perpulchrum ſuum atque venuſtum, & quidem fortè primâ in Europâ

ropâ vice, cum ſummâ illorum, qui hoc ſtudium proſeqvuntur, oblectatione, obtulit. *Qvi* ex cinereo in quinque lacinias anguſtas profundè diſſecto ſubhirſuto calyculo, primùm pyramidali formâ convolutus; poſteà verò in folia quinque ampla, ex rubeo ſvave purpurea, cum cœruleo colore mixta explicatus, formâ florum Convolvuli Indici majoris (præterquàm quòd non monophyllus) ſe diffundebat. Fulcrum ejus, *cauliculus* erat ſubviridis, teres, duas tresve uncias longus, carnoſus, debilis & tener: *Foliis* circa medietatem compluribus, pediculis longis inſidentibus, lætè viridibus, craſſiusculis, tergeminis, Trifolii ſimilibus, comitatus: hujus origo ex *Bulbulo* nigerrimo, Avellanæ magnitudinis, multis ſqvamis compacto, cui etiam planè atræ, capillaceæ, obliquæ, appendebant longisſimæ fibræ. Quantùm ex picturâ vivis coloribus affabrè expreſsâ, & ab ILLUSTRISSIMO DN: â BEVERNINGK nobis transmiſſa (ad quam icon noſtra efficta) colligere licuit, Oxyos ſpeciem judicamus, hincque illi affinem voluimus, donec nos ſemen fructusque edoceant certiora.

CENTAURIUM MINUS BRASILIANUM.

Cap. XLVII.

PUlchra hæc, reverà, nec minùs rara in Braſiliâ naſcens, indeque ad nos translata Plantula, *Radice* nititur flaveſcente, tenui, fibrosâ, uncias duas

duas longâ & nonnihil longiore, gustu amaro. Ex quâ Caulis geniculatus, pertenuis, erectus, dodrantalis altitudine, caudicis loco exit; qui in summitate, in ramos duos, quasi brachia expansa, dividitur, & hi in ramulos rursus alios, unciales & majores, alterno ordine plerumque positos: *Foliis* oblongis dilutè viridibus, Geniſtæ tinctoriæ formâ haud absimilibus, binis semper ad singula genicula, situ adverso positis cinctus. *Flosculum* quidem in caulis apice inter brachiorum juncturam, tantùm fert unicum; sed plures tàm in extremitatibus ramulorum, quàm inter foliorum illorum alas, perpulchros, purpureos, tubulosos, in quatuor folia rotunda exeuntes, Centaurii vulgaris flosculis duplò majores; è calyculis spectabilibus admodùm, quadrangularibus, membranaceis & rigidiusculis, venulas conspicuas, & in quolibet angulo fimbriam latam habentibus, prodeuntes. Hos, *Capsulæ* angustæ, oblongæ, Centaurii minoris æmulæ, *Seminibus* rotundis minutis ac fuscis refertæ, sequuntur.

SAXIFRAGA ANGUSTIFOLIA AUTUMNALIS, FLORE LUTEO GUTTATO.

Cap. XLIIX.

RAriorem hanc, elegantemque *Saxifragram*, humida & muscosa fundunt prata quædam Borussiæ & Cassubiæ, præsertim secundùm arcem

arcem **Klein Krakaw**/ ubi Anno M. DC. LII. adhuc puer, ab Augusto in serum usque autumnum florentem, observavi: in hortis autem udo, nec aprico nimis loco, reposita, aliquantò maturiùs, à Julio nempè ad medium Septembrem. Ubi ex *Radiculis* capillaceis, subcandido colore & sapore astringenti, *Propagines* multæ rubentes, pilis ferrugineis lanuginosæ, integros sæpissimè cespites serpendo occupantes, emittuntur: circa quas *Folia* angusta, carnosa, subtilissimis decurrentibus nervulis, sunt atrovirentia & rigidiuscula, per marginem subindè pilosa, cum Polygalæ & Nardi Celticæ foliis mediocriter conspirantia; quorum nonnulla in autumno siccescere incipientia, pro viridi suo tristem flavum seu rufum induunt colorem, instar Nardi Celticæ. Inter propagines, *Cauliculi* dodrantales, ut plurimùm summâ tellure sparsi, tenues, rotundi & virescentes, inferiori parte subrubicundi, superiore molli ferrugineâ seu pallidiore lanugine leniter hirsuti, procrescunt; qui *Foliis* parumper minoribus temerè & confuso ordine, circa radicem densè, in supernâ autem cauliculi parte subindè rarenter & parcè vestiuntur. Cauliculorum fastigia in ramulos duos, tres, quatuor pluresve abeuntia, *Floscules* admodùm elegantes, Saxifragæ albæ, sed luteo colore tinctos gerunt, quinis foliolis nervosis, in ungve appendiculas binas Gentianæ duodecimæ seu punctatæ Clusii in modum habentibus, constantes; in quibus non sinè ingenti voluptate est cernere, quàm nitidè & curiosè Dædala Natura, punctulis innumeris saturè croceis densissimè illos con-

SAXIFRAGA ANGUSTIFOLIA AUTUMNALIS, FLORE LUTEO GUTTATO, FOLIOLIS FLORUM MAGIS ACUMINATIS.



sperserit, & quidem à medio usq; ad umbilicum : unde *Siliqva* subvirescens bifurcata, loculamentis binis Saxifragiarum more distincta, inter staminula decem, crocis capitulata, prominet. Quæ deciduo flore, magis magisque intumescit, justamque maturitatem consecuta, per cornicula finditur ac *Semine* exiguo, subrutilo & micante sese exonerat. Flos æque ac folia, inprimis verò cauliculi, amariusculo & astringente sunt gustu.

Variat : Quædam enim florum petala magis sunt obtusa; quædam magis acuminata : præterea à foliis majoribus & minoribus; dilutioribus & obscuriùs virentibus, invenitur.

Hæc in multis cum *Hirculo Frisico Clusii* convenit; à quo tamen differt : Si modò *Hirculi* flores senis petalis constantes, duplici tantùm punctulorum serie intertincti; & folia circa radicem ac in caule tàm lata, & unico saltem nervo plurimas laterales venulas fundente, prædita sint; sicuti in Curis posterioribus Clusii, planta delineatur.

POLYGALA FRUTICESCENS, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XLIX.

AFricæ Meridionalis Desertorum amasia hæc nova & nunquam descripta *Polygala frutescens*, quam munere ILLUSTRISSIMI DO-

MINI à BEVERNINGK habemus; *Radicem* posſidet contortam & pro plantæ proportione craſſam, extrinſecùs cineream vel albam, intùs candidisſimam: exinde *Virgulta* asſurgunt dodrantalia, juncea & viridia, Spartii Hiſpanici Cluſio virgulis non abſimilia; *Foliis* raris, anguſtis & acuminatis, vix unciam attingentibus, nullo ordine poſitis veſtita. *Floſculos* fert ſpicatos, Polygalæ vulgaris planè ſimiles, quorum color ex viriditate ſvave purpuraſcit. Nec Fructum, nec ſemen vidi, haud tamen à vulgari differre exiſtimo.

PLANTAGINELLA AUREA ALOPECUROIDES BRASILIANA, FOLIIS GRAMINEIS.

Cap. L.

EN ex minimis unam, ſed rariſsimis charisſimisq; noſtris plantulis. *Radix* ejus exigua, mille fibris niveis comata, *Foliola* multa graminea & anguſta Graminis Luzulæ minoris Johanni Bauhino, ſed omninò glabra, in orbem diffundens: ex quorum gremio, *coliculi* quinquaginta vel plures proſiliunt, tenuisſimi, plantæ exilitatem *Globulis* oblongiuſculis lanuginoſisque, *Plantaginis anguſtifoliæ paniculis Lagopi minoribus*, uberrimè compenſantes, ſinguli, ſingulis coliculis triuncialibus vel brevioribus inſidentes, compoſiti ex pilis lenisſimis leucophæi

cophæi coloris, inter quos *Floſculi* flavi perminuti, ſummâ amœnitate, veluti punctula aurea, emicant, quod jucundiſſimum, huic plantulæ in Braſiliâ vigenti, aſpectum conciliat.

AMARANTHO AFFINIS INDIÆ ORIENTALIS, FLORIBUS GLOMERATIS, OCYMOIDIS FOLIO.

Cap. LI.

HUjus plantæ, ab Indis expetiti flores vel potiùs capitula, Anno M. DC. LXIV. â *Nobiliſſimo Excellentiſſimoq; Domino Jacobo Golio p. m. Profeſſore Matheſeos & Orientaliū Linguarum Lugduni-Batavorum* mihi oſtenſa; & poſtmodùm â Filio ejus *Ampliſſimo & Nobiliſſimo Dn. Domino Theodoro Golio J. V. D. Civitatis Lugduni Batavorum Conſulari*, nomine *Florum Batao* miſſa: paucos antè annos ex Indiâ ipsâ pro *Putang* Indorum, unà cum plantâ ſiccâ, nec non fructibus & ſemine, ad manus meas pervenerunt. Hujus *duæ* dantur *ſpecies*, utraque, ſi flores ſeu capitula excipias, eâdem, quâ Lychnidis ocymoidis flore purpureo, facie.

Prima, ſive flore albo: Caulem rotundum, piloſum, geniculatum, medullâ niveâ ſpongioſâ refertum, & complurimis ramis diffuſum, ad bipedalem altitudinem erigit: *Folia* ex intervallo in contrariis lateribus, alterno ordine & cruciformi poſitu proferentem, Lychnidis ocymoi-

dis flore purpureo foliis, temperatè virentia, & molli lanugine tàm ſupernâ, quàm infernâ parte aſperſa. Ex horum ſinu aliquando ſimul cum ordinariis ramis, ramuli etiam alii minores exoriuntur: quorum æque ac ramorum ordinariorum ſummo, pervenuſtum, gratum oculis opus reddens, globoſum inſidet *capitulum*, effigie & magnitudine penè Lupuli follicularium fructuum; foliolis duobus plerumque, vel quatuor etiam aliquando, Globulariæ in modum luteæ Columnæ, juxta baſin circumvallatum. Hoc inquam *Capitulum*, ex innumeris, ſemilunaribus, compreſſis, Gnaphalii Americani florum ſquamulis æqualibus, membranaceis, argenteo candore nitentibus, compactum eſt *glumis*; quarum binæ ſemper conjugatæ, *utriculum* chelarum figurâ efficiunt; ex cujus cavitatis centro *Floſculus* admodùm parvus & quinquepartitus, Amaranthi quodammodò reſpondens, ſed omninò niveus & lanuginoſus, tenerum intùs tubulum comprehendens, emicat. *Qui* ſucceſſu temporis indureſcens, ac ampullulæ in formam craſſeſcens, denſâ lanugine candidiſimâ ita obducitur, quaſi humanâ induſtriâ goſſipio involutus eſſet: *ac Vaſculum* admodùm puſillum coniforme, ex tenui pelliculâ confectum, Amaranthi ſimile occulit; in quo *Semen* orbiculare unicum, cum Amaranthi pariter conveniens, ſed altero tantò penè majus ac ſubrubicundo colore, continetur.

Altera ſpecies, ſive flore purpureo: minor nonnunquam & ſtrigoſior, magisque ramoſa ſe oſtendens, *Capitula* profert minora, ex lepidiſſimis, vegetæ Roſarum purpuræ nitentibus, oculosque hilari

hilari luce perſtringentibus glumis, Gnaphalii montani purpurei florum ſquamulas mentientibus, compoſita. Quæ ob venuſtatem formæ ac pulchritudinem, ab Indis, filorum, quibus flores *Mogorri* trajectant, extremitatibus, globuli loco ornatûsq; gratiâ, annectuntur; eo modo, quo in Ephemeridibus Collegii Naturæ Curioſorum anni tertii, figurâ *Mogorri* repræſentatur.

Præter has duas, *tertia* etiam *ſpecies* in Braſiliâ reperitur, cujus figura inter Icones paginâ 52. per errorem poſita. Hæc nonnihil altior, quàm Aſiatica flore albo excreſcit; cæterum cum illa convenit; exceptò, quòd *capitula* ejus minora, & ex minoribus glumis compoſita, ac circa baſin (quantùm obſervare potui) foliis nullis circumvallata ſunt. An, *Planta ex quâ fit Anil alia ſpecies, Marcgravii?*

THE SINENSIUM, SIVE TSIA JAPONENSIBUS.

Cap. LII.

THe compluribus & denſis ramis eſt *Frutex*: *Foliis* obſcurè viridibus, per circuitum ſerratis, non tàm Chamælæagni, quàm Spirææ Theophraſti, ſubſtantiâ & toto habitu æqualibus, ſaporis exſiccantis cum quâdam amaritudine: *Flores* proferens (quantùm ex picturâ, & duobus, at imperfectis, ex Japoniâ transmiſſis floſculis conjicere potui) Ciſti fœminæ & Goſſipii mediam faciem obtinentes, uberrimos, quinis

THE SINENSIUM, SIVE TSIA JAPONENSIBUS.



nis foliolis albicantibus aut pallidis constantes, staminulis multis medium florem occupantibus. His demum succedunt *Fructus*, dum adhuc vigent (ut ferunt) virides, resiccati autem cortice magis rugoso, ex spadiceo fusco vestiti: in quibus non minùs quàm in Coccis Orientalibus, mirabili varietate mutabilis Vertumnus ludit. Quidam enim penitùs globosi instar dictorum Coccorum, eâ etiam magnitudine, aut duplò penè aliquando sunt majores, Semen tantùm unicum continentes: alii contra geminati, sive in duos loculos ceu scrotum caninum dispertiti: alii verò trigoni, formâ & magnitudine, à *Fructu, Ricino simili, Johannis Bauhini*, non admodùm abludentes; hi maturi ubi se aperiunt, in tres; illi in duas, dehiscunt partes, quarum quælibet *Semen* continet: quod vel orbicularis planè, ad Styracis; vel quia minùs splendet, ad *Fructum exoticum XV. à Jacobo Gareto acceptum, Clusii*, propiùs accedens, vel in unâ parte sessilis, nonnunquam etiam triquetra est Nucula, tenui putamine & lævi, spadicei seu subrufi coloris, exceptâ basi (quâ parte adhæsit) albidâ, constans; quo Nucleus subalbidus pallidusve, ac valdè (*fortassè quòd à Japonensibus, stimulante invidiâ, aquâ decoctus, nè apud exteros quoq; plantetur; vel vetustate corruptus; vel antè maturitatem lectus; vel in longinquo itinere, continuo ardore Solis, nimiùm exsiccatus*) rugosus, gustu primùm dulci, postmodùm amaro & nauseabundo, tandemque calido & valdè exsiccante, cuticulâ tenui cinereâ obductus, continetur.

Plura qui de Frutice hoc nobilisſimo (*qui propter fructûs diverſam formam, tàm unicapſularibus, quàm bi-& tricapſularibus accenſeri, & poſt Evonymum haud ineptè locari poteſt*) ſcire deſiderat, conſulat Johannem Petrum Maffeum Rerum Indicarum libro VI, pag. 108. & lib. XII, pag. 242. Ludovicum Almeydam in eodem opere, lib. IV, ſelect. epiſt. Petrum Jarricum Tom. II, lib. II. cap. XVII. Matthæum Ricium de Chriſtian. exped. apud Sinas lib. I, cap. VII. Aloiſum *Frois*, in Relat. Japonicâ. Nicolaum Trigautium de Regno Chinæ, cap. III, pag. 34. Linſcotum, capite XXVI. de Inſulâ Japoniâ, paginâ 35. & 36. Caſparum Bauhinum in Pinace, pag. 147. Bernhardum Varenium in deſcriptione Regni Japoniæ, cap. XXIII. pag. 161. Johannis Bauhini, Hiſtoriam Univerſalem Plantarum, Tomo tertio, lib. XXVII, cap. I, pag. 5. b. Alexandrum Rhodium, in ſuo tractatulo, cui titulus: *Sommaire des divers voyages & Miſſions Apoſtoliques du R. P. Alexandre de Rhodes de la Compagnie de Jeſus à la Chine & autres Royaumes de l' Orient, avec ſon retour de la Chine, à Rome; de puis l' anneé* 1618. *juſques à l' Anneé* 1653. pag. 25. Nicolai Tulpii Obſervationes Medicas, libr. IV, cap. LX. pag. 380. Adami Olearii **Perſianiſche Reiſe-Beſchreibung** / lib. V, cap. XVII, pag. 599. & 600. Johannis Alberti **von Mandelslo / Morgenländiſche Reiſe-Beſchreibung** / lib. I, cap. XI, pag. 39. Olai Wormii Muſeum, lib. II, cap. XIV, pag. 165. Martini Martini Atlantem Sinicum. Dionyſii *Joncqvet*, Stirpium aliquot paulò obſcuriùs Officinis, Arabibus aliisque denominatarum, per Caſparum Bauhinum expli-

Explicationem, pag. 25. Jacobi Bontii Historiam Naturalem & Medicam, libro 6, cap. 1, pag. 87, cum annotatione D. Pisonis. Simonis Pauli Commentarium de Abusu Tabaci & Herbæ Thee: item ejusdem Quadripartitum Botanicum, Classe secundâ, paginâ 44. & 45, ibidemq; classe tertiâ, paginâ 493. usq; ad pag. 499. *Wilhelmi Leyl* epistolam, apud Simonem Pauli in Commentario de abusu Tabaci &c: paginâ 15, b. Joannis **Nieuhofs Gezantschap an den Keizer van** China, pag. 122, 123. & 124. a. Erasmi Francisci **Ost- und West-Indischer wie auch Sinesischer Lust- und Stats-Garten** p. 291, 292. &c. O. **Dappers Beschryvinge des Keizerryks van** *Taising* **of Sina** / p. 226. 227. 228. 229. Arnoldi Montani **Gedenkwaerdige Gesandtschappen aen de Kaisaren van** Iapan, pag. 5. Athanasii Kircheri Chinam Illustratam, & alios de eo tractantes.

Icon, quam damus, maximam partem ad figuram *Excellentissimi Domini Guilhelmi ten Rhyne* Medici, Botanici & Chymici Magni Imperatoris Iaponiæ, manu artificiosissimâ ad vivum coloribus expressam, confecta; quam cum fructibus ILLUSTRISSIMO DOMINO HIERONYMO à BEVERNINGK ex *Insulâ Decimâ* Anno M. DC. LXXV. transmisit: Qui eandem mihi, Curioso Lectori hîc repræsentandam, cum fructibus seminibusq; multis, ex singulari favore, gratiosissimè concesit.

RICINUS AMERICANUS, TENUITER DIVISO FOLIO.

Cap. LIII.

E *purgatrice Avellanâ Monardis*, ſub nomine Hiſpanico *Medicina del Spanje*, ex Indiâ Occidentali, transmiſsâ, in horto plantis inſignibus exoticis abundante, *Nobiliſsimi Domini Johannis Roeteri p. m.* Amſtelodami Anno M. DC. LX. Planta rariſsima enata eſt, *Papajæ* penè arbuſculæ junioris formâ; quæ toto æſtatis autumnique tempore vix ſesquipedalem altitudinem obtinebat. Ea porrò *Planta*, à radice, *Caulem* rectum, lævem, rotundum, geniculis omninò deſtitutum edebat, pollicaris craſsitiei, ac ſubviridis cum purpuraſcente quodam intermixti coloris, Serpentariæq; inſtar maculis obſoletis aſperſum. Hujus faſtigium *Foliis* ornabatur, inferiùs glaucis, ſuperiùs atrovirentibus & ſplendentibus, magnitudine & diviſurâ Aconiti ſeu Geranii batrachioidis, ſubſtantiâ autem Ricini & quodammodò etiam figurâ: quæ in ſeptem, octo, novem, immò & decem, acuminata, aſt Coronopi foliorum inſtar, laciniata ſegmenta (in quorum ſingulis nervus rufeſcens è folii centro exporrigitur) ad Gyrum, in quo ſegmentorũ nervi coëunt, unde & pediculus longus averſo folio oriebatur, dividebantur. Inferiora horum foliorum lætiſsimum ad tempus virorem cum luteo triſti commutabant colore, atq; tandem

dem decidebant, loco superioribus concesso, relictis tamen quibusdam subviridium macularum in cauli vestigiis. *Flores* nullos proferebat, multò minùs *Fructus*; quorum tamen postremorum copiam *Dominus Roeterus*, & *Dominus Johannes Commelyn Senator Amstelodamensis*, cum variis peregrinis fructibus & seminibus humanissimè mihi dono suppeditârunt. *Hi* Iuglandis minoris sunt magnitudine ac ferè facie, rotundi nempe, & â medio corpore paulatim in mucronem desinentes, cordisq; humani formam quodammodò repræsentantes; tenui è cinereo candicante, nonnunquam ad fuscum inclinante cortice, lento & molli constantes: qui exteriùs octo nervis â summo ad imum ductis, fibris frequentibus intercursantibus, distinguitur: & interiùs, in concamerationes duas separatur; In quarum quâvis *Semen*, magnitudine, colore ut & figurâ, fermè Avellanam exoletam, vel potiùs (cum penè triangulare, & alterâ parte semper planum) Castanellam peregrinam Johannis Bauhini referens, continetur; putamine tenui: *Nucleo* (qui malè concavus â sculptore factus) candido, solido, subdulci, substantiâ Avellanæ haud absimili. Qui in Medicinâ apud Hispanos, in Indiâ Occidentali degentes, percelebris, & alvo evacuandæ servit: De quo Monardem interim Lector consulat Curiosus, donec in *tertiâ parte* hujus *Centuriæ*, plura percipiat.

RICINUS MINOR INDICUS, SOLANI FOLIIS.

Cap. LIV.

SUnt mihi ex Indiâ, de *Ricino* hoc *minore Solani* foliis, *Rami* ſesquipedalis longitudinis duo, teretes, glabri, inanes, diluto virore tincti ac enodes: quos è contrariò correſpondentia *Folia*, laxis dentibus circumſerrata, pediculis penè uncialibus innitentia ambiunt, Solani non admodùm disſimilia, longiora verò, magisque venoſa, ac teneriora, & ſubſtantiâ Ricini, eo fermè etiam colore, utpotè ſuperiùs ſaturata, inferiùs dilutè virentia, ac ibidem nervum, venas, fibrasq; magis conſpicuas habentia. E ſingulis horum alis, ſinguli ſurculi *Floſculos* longâ ſerie muſcoſos racematim ſuſtinentes, unciales prominent: in quorum nonnullis, *Fructus* jam unus, in aliis jam duo, pedunculis teneris dependentes viſuntur triquetri, magnitudine, formâ & colore à Lathiridis nihil discrepantes, niſi brevi quâdam incanâque lanugine, inſtar Tuliparum caulium, aſperſi eſſent. Hi maturitatem adepti, disſiliunt in tres capſulas: quarum quælibet in partes duas cum impetu ſe aperit, & *Semine* coloris lividi, Lathiridis non majore, aſt magis ſplendente, maculisque nigris, Ricini in modum majoris è Gvineâ, eleganter variegato, ſe exonerat. *Ricinus hic novus & rarus*, ſimilitudinem aliquam cum *Pineis Nucleis Acoſtæ* habere videtur, ſi Folia, Flores & Fructus, cum Acoſtæ figurâ

figurâ considerentur. Ast *Ricinus noster* Planta tantùm est haud grandis, cùm Arborem *Pineos nucleos Malucanos* ferentem, magnitudine Pyri, asserat *Acosta*; hujus *Semina*, sive ut perperam vocat *Pineos nucleos*, ex Magni Mogolis Imperio accepimus, eâ magnitudine & facie, quâ Ricini vulgaris, quæ tamen foris fusci coloris sunt, cum aliquâ flavedine, intùs verò nivei, saporis subdulcis, mox verò os faucesq; instar Laureolæ baccæ, inflammantes. Hæc validissimè bilem & pituitam supernè ac infernè purgant, & ab Aromatariis quibusdam curiosis, nomine (quâ ratione, sum nescius, & an non forsan vox ab *Granadillâ* malè petita) *Grana Tilli* venduntur.

DATURA INDICA FOLIIS MALABATHRI.

Cap. LV.

Daturam Acostæ, & turpissimo seminis abusu, & mirando effectu satis famosam; nonnulli *Daturam Clusii*, sive *Turcarum Besleri* volunt: de quo tamen semper, cùm *Daturæ Acostæ* fructus & semen mihi magis ad Stramonii accedere videantur, addubitavi. Et quidem non planè frustra. Nam cùm *Daturæ veræ Indorum* Semen magnâ mihi copiâ Anno 1669. ex Indiâ allatum, Stramonii illud perquàm simile reperi; ex quo plurimæ etiam enatæ Plantæ, quæ Stramonio Ægyptiaco, (Datura Contarena ab Alpino dicto) ita congruentes fuerunt, ut nullum

nullum in utroque discrimen animadvertere potuerim. Nonnullæ quidem subviridem habebant caulem, pleræque verò profundè violaceum, splendentem, & quasi guttulis intertinctum.

Cæterum fieri potest, ut *Datura Turcarum Besleri*, in Indiâ quoque *Datura* nuncupetur. Plurimas enim in Indiâ dari plantas *Daturæ* nomen ibidem obtinentes, certum est: neque hoc è verbis tantùm *Acostæ*; sed ex Ramo etiam, antè sexennium fermè ex Indiâ sub nomine *Dotter sive Dutroa* (ita enim *Datura* hodiernis Indis & Batavis eo in loco degentibus, vocari fertur) mihi transmisso patet. *Ramus ille* pedalis est longitudinis, quadrangularis, hirtus & frequentibus internodiis distinctus: cui *Folia* ex adversò bina adnata sunt, uncias quatuor aut quinque longa, duas lata ubi latissima, nervis, venis & toto habitu Malabathrum exquisitè repræsentantia, nisi quòd substantiâ minùs solidâ, magis herbaceâ, ac in utrâq; planitie pilis albis, brevibus atque subasperis, sicut & petioli illorum parvi, quibus innituntur, sint obsita. E foliorum ortu, ramusculi eodem ordine & serie, quo folia ipsa procreverunt, foliis itidem geminis, sed quadruplò minoribus condecorati. Geniculum autem superius, ramulorum loco, *Flores* binos, & rami cacumen quaternos, in angulos quatuor aut quinque desinentes, Hyoscyami haud dissimiles; sed ex calyculis planè hirsutis, asperis & veluti argenteis, prorumpentes, ostentat; quorum observare colorem non licuit; neq; de fructu & semine, an Daturæ vel Stramonii rectiùs æquiparanda, quicquam certi habere potui.

An

An Datura tertia Acoſtæ, aut Hyoſcyami tantùm ſpecies, ob ſeminis forſan efficaciam Datura dicta? Hyoſcyami enim ſemen Daturæ profectò maximè reſpondet viribus, quemadmodum elapſo abhinc triennio è puellâ ſex annorum meo in horto, quæ Hyoſcyami Semen, Papaveris loco comederat, clarè effulſit. Hæc paulò pòſt ſtupendis correpta Symptomatibus, nunc Simiæ geſtus exprimere, nunc mira cantare, nunc dilacerare veſtes, aliasq; tractare affanias, nunc veluti inſana parietes inſultare, & ex angore animi, velut furibunda innectere ſe brachiis præſentium cœpit, quod ultra duodecim horarum ſpatium duravit, donec tandem vomitorio & Theriacâ adhibitis, malũ nonnihil remiſit: quanquam & ſequenti adhuc die mira ſupererat animi perturbatio, nam & tunc continuè manus verſabat, vellicabat veſtes, ac ſi in maximas adducta anguſtias, admiſſorum omnium ignara. Poſtmodùm planè convaluit, & in hunc usq; diem vitâ, ſinè ullâ capitis noxâ & ſanitatis detrimento, fruitur.

ALCEA JAVANICA ARBORESCENS, FLORE PLENO.

Cap. LVI.

INter *Alceas*, quæ affinitatem quandam cum Goſſipio habent, *Malvæ multa genera*, ſinè diſcrimine, â nonnullis immiſcentur: quamvis *Alcea* & *Malva*, duæ ſint plantæ toto cœlo diffe-

rentes. *Malva* enim in medio floris semina circa stylum nutritivum orbiculatim in pastilli formam congesta, palàm subjicit oculis : *Alcea* verò ea in vasculo seminali, in quatuor vel quinq; capsulas distincto è contrariò occultat ; & hujus duo præcipuè occurrunt genera. Alterum, fructibus oblongis, *Bamia* ; alterum brevioribus & utplurimùm rotundis, *Alcea* nuncupatum, de quâ Plantæ, Frutices atq; Arbores habentur.

Plantarum in hortis nostris vigentium, *Alcea vesicaria Capitis Bonæ Spei*, vilissima non est censenda. Hæc vulgari est plerumq; fruticosior & obscuriùs virens ; *ramis* instructa pluribus, hirsutioribus, minimè verò aculeatis : *Foliis* minoribus, rotundioribus magisq; glabris : *Vesiculis* seu *Calyculis* tristioribus, pallidis vel magis viresçentibus, lineas dilutiores ex ferrugineo rufescentes habentibus ; è quibus *Flores* nonnihil elegantiores explicantur.

Inter *Frutices* atque *Arbores*, non postremum meretur locum, *Alcea arboresçens Syriaca*, quæ jam in hortis Europæis, *albis, carneis, purpureis & rubentibus* occurrit floribus : cui antecellit *Rosa Sinensis* tàm *foliosior*, quàm *folios*a, & *qvinqvefolia Ferrarii* ; nobis *Alcea Candaharensis arborea, pampineis foliis, flore mutabili simplici, pleno, & foliosiore*. Atque huic raritate suâ palmam extorquet, *Rosa Batavico-Indica inodora, seu Malva frutescens rubra & pallida, Bontii;* nobis *Alcea arboresçens Javanica flore rubicundo, & carneo simplici :* de quâ sequentes admodùm elegantes species, ex Indiâ obtinuimus.

Prima, sive *Alcea Javanica arboresçens, flore pleno rubicundo* : Frutex peramœnus jucundusq; est, ad pergu-

pergulas texendas valdè idoneus, Rosarum excrescens altitudinem: qui compluribus obsequiosis, tenuibus & lentis Liguſtri in modum divaricatur viminibus: per quæ *Folia* cernere licet, longis innitentia pediculis, auriculas circa caulem habentibus, lævia, tenera, lætè virentia, digitorum trium vel quatuor transversorum longitudine, latitudine duorum triumve, crasso modo in ambitu dentata, Alceæ junioris Syriacæ figurâ; aut si minora tantùm consideres, cum Gelsimini Indici flore phœniceo Ferrarii foliorum extremis lobis, tàm formâ quàm consistentiâ admodùm convenientia. E ramorum extremitatibus, & foliorum proximorum sede, *alabastri*, circa tempus floriferum germinare incipiunt virides striatique, longis suffulti petiolis, & à basi usque ad medium, foliolis anguſtissimis, veluti cancellis ita obsepti; ut calyculos eorum geminos jure meritoque existimare posses. Horum alabastrorum singuli cum maturitate in quinque lacinias dehiscentes, *Florem* admodùm spectabilem & amplum Alceæ arborescentis Syriacæ similem, petalis quinque rubicundis constantem, expandunt: cujus medium occupat triuncialis fermè stylus, crocis pavonino in apice coronatus, & ab imo usq; ad summum, modò multiplici foliorum fœtu luxurians, modò quinis quaternisve foliis, triplici, quadruplici aut numerosiore serie ita cinctus; ut flos vel densissimâ foliorum compage omninò plenus, vel quasi tres, quatuor aut quinq; flores alii ex aliis enati, spectaculum intuentibus jucundum oblectationemqve præbeant.

Altera Species, sive *Alcea Javanica arboreſcens flore pleno carneo:* nihil peculiare posſidet, in quo â jam delineatâ differat, præterquam quòd *Flores* ejusdem, (qui etiam obſcuri vel planè nullius odoris) carneo peramœno colore infecti ſint. Inde plura de illâ ſcribere ſupervacaneum judicavi. Non minùs tamen quàm prior, nervis multis per longitudinem foliorum floris discurrentibus diſtincta. Utraque in hortis Indiæ, velut apud nos Roſa colitur.

ALTHÆA AMERICANA PUMILA, FLORE LUTEO SPICATO.

Cap. LVII.

Althæa & *Malva*, Sorores duæ, perquàm ſibi ſimiles, ſemina circa ſtylum nutritivum arctè in orbem dispoſita, formâ caſeoli gerentes, parvoque diſtantes discrimine: *hæc* tantùm eò, quòd magis herbacea plerumque ſit, & Semen in rugoſioribus pericarpiis utplurimùm contineat: *illa* verò, quòd plerumque lignoſior, hirſutior & fruticoſior excreſcat, ac Semen in pericarpiis hirſutioribus lanuginoſioribusve magis compreſſum offerat; cui *Althæam ſequentem Americanam* ſubjungo.

Hæc Planta lignoſa, ramoſa atque humilis eſt, molli lanugine hirſuta: *Foliis* Althææ vulgaris minoribus, pediculo longo cauliculum alter-

alternatim ambientibus; cujus in ſummo *Floſculi* quinis foliolis flavis conſtantes, densè in ſpicam congeſti cernuntur; originem è calyculis geminatis ac villoſisſimis, quorum quisq; in partes mucronatas quinq; diviſus, petentes: floſculis delapſis ſuccedunt *Semina* compreſſa, pericarpiis lanuginoſis incluſa, quæ ſtylum nutritivum circulatim & arctè ambiunt, & dimidiò Althææ noſtratis ſunt minora. Abundat in locis ſaxoſis Inſulæ *Corocao*.

GERANIUM NOCTU OLENS ÆTHIOPICUM, RADICE TUBEROSA.

Cap. LIIX.

DE Geranio triſti Herbariorum, quod jam antè complures elapſos annos, in Europâ potenti noſtrâ, totum Geraniorum genus præprimis nobilitavit, eorumque gloriam maximè adauxit, ſe verò ipſum in cultioribus viretis, tàm raritate, quàm merâ in florem collectâ ſvavitate, eâque jucundè olente, & notabili odoris proprietate expetendum commendavit: nullum, præter Cornuti, deſcriptum invenio; cùm tamen variæ ejusdem ſpecies circa Promontorium Bonæ Spei reperiantur. De quibus primus omnium PERILLUSTRIS ac GENEROSUS HEROS, DOMINUS DOMINUS â BEVERNINGK tres ſequentes in Belgium, ſummâ cum Botanicæ Scientiæ Cultorum voluptate,

transferri curavit, quæ in florifero Ejus Horto lætisſimè virentes floruêre omnes, atque ex parte etiam Semina tulerunt.

PRIMA SPECIES,
ſive
Geranium noctu olens Æthiopicum, radice tuberosâ, foliis Myrrhidis latioribus.

TUberoſam agit *Radicem*, obſoleti coloris purpurei, peramplam & craſſam, craſſisque balanis, colore & formâ junioribus Carotæ flavæ radicibus haud abſimilibus præditam: quæ, antequam è terrâ erumpit, in ſurculos aliquot veluti propagines ſubinde facesſit palmares, *Folia* emittentes Geranii triſtis *Cornuti* majora atque aſperiora: ex horum gremio *Caules* deinde in pedalem majoremve elevantur longitudinem, rotundi, inanes, ternis ac quaternis longè diſtantibus, folioſo margine fimbriatis intercepti geniculis; in quorum ſingulis Folium conſpicitur, inferioribus terræ proximis longè minus, in primis, quò altiorem in caule gradum obtinet. Sequuntur *Flores*, caulium & pediculorum in cacumine quibusdam foliolis radiato ſe repræſentantes, novem vel decem in umbellam diſpoſiti, Geranii triſtis *Cornuti* nonnihil majores; qui in *Fructus* longos, roſtri gruinalis inſtar formatos abeunt, *Semen* oblongum continentes, coloris (niſi me fallit memoria) olivacei, cujus non ſolùm cum plantæ integræ picturâ coloribus vivis affabrè illuſtratâ, Anno M. DC. LXIX. per ILLUSTRISSIMUM DOMINUM à BEVERNINGK particeps factus; ſed Anno jam

jam præcedente, ILLUSTRISSIMO etiam huic MÆCENATI vivâ radice, & ſiccâ ipsâ, me exhilarare plantâ complacuit. Ex quo non minùs TANTI HEROIS Cura in promovendis ſtudiis laude dignisſima, quàm ſumma in me immeritum benevolentia, Sole clariùs meridiano effulget.

ALTERA SPECIES.

Geranium noctu olens Æthiopicum, radice tuberoſâ, foliis Myrrhidis anguſtioribus, mihi indigitatum: Primæ ſpeciei in omnibus eſt ſimile; niſi quòd *Flores* ad purpureum obsoletum inclinent colorem; *Foliaq;* in lacinias plures & anguſtiores diſſecta, quorum pediculus nonnunquam magis purpuraſcit.

TERTIA SPECIES.

Radicem habet pariter tuberoſam, *Folia* verò Aquilegiæ; inde etiam *Geranium noctu olens Æthiopicum, radice tuberoſâ, Aquilegiæ foliis* dicta. De quâ in poſterum, nec non de aliis ſpeciebus quibusdam noviſsimis, quarum picturas *Excellentiſsimus D. Wilhelmus ten Rhyne* nobis Anno M. DC. LXXV. ex Promontorio Bonæ Spei transmiſit, plura, Deo volente, ſubſequentur.

Hâc vice à contemplatione Geranii triſtis formæ, ad florum ineffabilis, ſvavitate præcellentis Moſchi, odoris dignisſimam admiratu proprietatem convertemur. Hi enim Flores, inſtar *Heſperidis Theophraſti*, influxum illucentis Solis adeò aſpernari videntur, ut ferè integro die nullum; cum Lunæ verò accesſu odorem inenarrabilis ſvavitatis, è meatibus, (inviſibili modo, fermè

fermè ſicut *Colocaſia* humorem aqueum è foliorum venis ac poris viſibiliter) diffundant: qui intempeſtâ quoq; nocte ad Auroram usque perſeverat, ſtatimque cum Solis præſentiâ evaneſcit; quemadmodum illud à *Cornuto* jam annotatum, cujus de ſupra dictis cauſis, hæc eſt animi ſententia: cùm floris ſubſtantia rarior, & odorifer humor oleoſus, valdè ſit tenuis, per apertos meatus leviſſimo calore Lunæ ſideris evocatus, ſpirat fragrantiſſimè, intenſiori Solis verò diſſipatur. Atque propterea ejusmodi flores interdiu odore deſtituuntur, quoniam, inquam, illorum humor oleoſus à Sole ita diminuitur, ut inefficax ſit atque ineptus ſvavitate ſuâ ferire nares. Et quod de Geranii florum odoris Naturâ, Naturæque cauſis, jam expedivimus breviter; etiam de Plantarum omnium, quibus eadem indoles, intelligendum. Hic verò notandum, quasdam hujus Naturæ Plantas, proprietatem mirabilem, multò meliùs atque clariùs exſerere, quàm alias: quædam enim interdiu propemodùm nullum, noctu verò fragrantiſſimum exhalant odorem; ut *Gerania noctu olentia*, *Arbor triſtis*, *Heſperis* tàm *Pannonica* quàm *Syriaca*: è contrariò quædam etiam interdiu odore quodam; ſed multò languidiori quàm noctu, ſunt præditæ. Cauſa verò, cur illæ interdiu Plantæ lunares etiam fragrent, hæc eſt: quòd earum humor ſulphureus ac oleoſus, copioſior & craſſior, qui calore Solis non adeò, uti priorum, exſugi & conſumi poteſt, cujus generis perplures reperiuntur, atque inter cæteras *Leucojum*, *Viola Damaſcena*, *Superba flore pleno:*

pleno: ut & *Rosæ Eglenteriæ folia*, quorum fragrantia etiam post frigidiusculam pluviam, præsertim die in vesperam inclinante, perceptibilis magis animadvertitur; idque partim, propter eorum copiam & magnitudinem, quæ recollectis quadantenus sulphureis spiritibus, quamvis illi parcè tantùm prodeant, attamen tàm multis viis se exserentes, validum satis excitant odorem; partim quia crassus eorum ac viscosus humor resinosus, spiritus volatiles sulphureos magis constringit, quapropter dissipari non penitùs, eoq; citiùs se recolligere possunt. Et sanè, quòd Rosa Eglenteria pro foliorum abundantiâ, in Geranii tristis florum paucitatis comparatione, noctu odorem haud fortiorem offerat, in causa est, spiritus ejusdem sulphureos non tàm efficaces & subtiles, humoremque eos constringentem crassioris consistentiæ esse. Atque hæc mea, pro tenuitate quidem opinio, quam etsi publici juris facere non erat animus, tamen moveri me passus sum. Tibi verò Modeste Curioseque Lector, meliora explorare, in quibus erravi rejicere, & si aliquantisper semitam inii, viam clariorem aperire licet.

GERANIUM ÆTHIOPICUM MYRRHIDIS FOL: TERT: FLORE MAGNO STRIATO.

Cap. LIX.

GEranium Æthiopicum Myrrhidis Folio tertium; pedales & cubitales profert *caules* hirsutos,

partim virides, partim rubentes, geniculatos, ramosos, quorum articulorum juncturis pinnæ duæ cartilagineæ annexæ, & *Folia* longis pediculis adhærent subhirsuta, plurimis segmentis divisa, crenata, & per oras aliquantulum rubentia, faciem mediam inter Geranii Apuli, Coriandrifolio *Columnæ*, & Geranii tristis *Cornuto* folia minora, obtinentia. *Flores* in umbella pauci, carnei, speciosi, striis purpureis insigniti, foliis quinque amplis, ad imum angustis, conflati, è calycibus longis, hirsutis, quinquepartitis, exeuntes: quibus *Fructus* rostratus, & *Semen* Geranii Apuli, Coriandrifolio, succedit.

Perelegantem hanc Geranii Speciem, nusquam, nisi apud ILLUSTRISSIMUM DOMINUM HIERONYMUM à BEVERNINGK, cui ex Africano Bonæ Spei Promontorio florum varii generis abundantissimo, Anno reparatæ Salutis M. DC. LXIII. missa, vidimus.

CARYOPHYLLATA MONTANA FLORE PLENO PROLIFERO, FOLIO HEDERÆ TERRESTRIS.

Cap. LX.

Caryophyllata illa perelegans, à Clusio pro *montanâ tertiâ*, expressa ac descripta, in Borusiâ etiam nostrâ nascitur, tàm simplicibus, quàm plenis, immò nonnunquam etiam proliferis floribus.

ribus. Hujus autem pulchritudinem & diversitatem à *Caryophyllatâ aqvaticâ nutante flore*, nutrimento tantùm superfluo ac abundantibus pluviis adscribendam, & mutuatam ad breve temporis spatium raritatem, minimè durabilem, altero pòst anno, pereunte hoc adscito decore, in vulgarem suam faciem recedere existimo: quod clariùs evolvere in *Viridario* meo *Borusiaco* meditor.

Hìc verò quandam ejusdẽ penè speciei, ab aliis Caryophyllatis omnibus, quas unquam conspexi, diversam sisto: quæ æstimatione non indigna, sive peculiaris sit species, sive nobilis fortè ab aquaticâ vulgari nutante flore tantùm varietas; quod liquidò confirmare non possum, cùm non nisi unicam plantam, Svecici belli tempore, ex Casubiæ montibus mense Majo florentem, acceperim. *Radix* ejus, Caryophyllatæ aquaticæ tàm colore, & facie, quàm sapore prorsus respondebat, in aliquot pariter diducta propagines; ex quibus *Folia* Hederæ terrestris paria, orbiculata ferè, per ambitum modicè serrata, & leniter crispa, pediculis fescuncialibus innixa virebant; quorum unicum duntaxat lobulo exiguo, rotundo, utrinq; circa basin auriculatum. Hæc interfolia, *cauliculus* palmaris, erectus & firmus eminebat, ternis vel quaternis, in lacinias tres latas serratasq;, sed non usq; ad pediculum divisis *foliolis* inferiùs septus; proximè à summo fastigio elegantissimum sustinens *Florem*, sanguineum, seu hilaris cinnabaris fulgore ardentissimum, & multiplici foliorum texturâ ac serie constantem, Caryophyllatæ montanæ tertiæ multiplici flore Clusii propemodùm formam referentem, calyce excepto, è foliolis

multò minoribus constructo. Ex dicti floris centro, cauliculus ad sesquidigiti altitudinem transiliebat, flore alio minore ac minùs folioso, magnificè quasi venustate matris suæ triumphante ornatus, gratissimumq; plantæ hujus aspectum, multis etiam exoticis palmam eripientis exhibente. Tota planta lanugine Caryophyllatæ vulgaris modo pubescit, eâq; facie & magnitudine, quâ inter icones expressa, in nostro Herbario vivo servatur.

PULSATILLA POLYANTHOS VIOLACEA, ANEMONES FOLIO.

Cap. LXI.

Radice nititur nigrâ, crassâ, non admodùm profundâ, inferiùs in plures tenues ramos & fibras, superiùs in multa capita diffusâ. Quæ novo vere statim post solutas nives, immò nonnunquam sub illis, *caules* multos sesquipalmares & dodrantales, rotundos, inanes, albis tenerisq; pilis planè hirsutos emittit: horum quivis paululum ultrà medietatem *coronulâ* in lacinias plurimas dissectâ, extrinsecùs perquàm villosâ, intrinsecùs glabrâ & venulis striatâ, cingitur; in extremitate *Florem* Pulsatillæ vulgaris quidem formâ & hirsutie æmulum, sed longè ampliorem, è foliis sex latis cœruleis vel violaceis compositum, gerens spectabilem, odoris dulcis; cujus medium globus, ex densis capitula lutea gestantibus constipa-

ſtipatus ſtaminulis, occupat; hujus è centro capillamenta rursùs denſa & mollia, in cuſpide, vel penicilli in morem conjuncta prorumpunt, ſenſim decedente flore altiùs ſeſe ac latiùs, in *Globo* villosâ cæſarie comoſo & incaneſcente expandentia; ac in cujuscunq; infimâ cæſariei parte, *Semen* exiguum longiuſculum, parvo in pericarpio villoſo complectentia. *Folia*, præterlapſo floris tempore, primùm ſe conſpicienda offerunt, Anemones hortenſis latifoliæ ſimplici flore tertiæ Cluſii, latioribus foliis proxima, longis pediculis hirſutis ſuffulta, in lacinias tres primarias ad pediculum usque diviſa, & hæ in alias bifidas vel trifidas minùs profundas, quarum unaquæque iterum in anteriore parte diſſecta: hæc folia juſtam conſecuta perfectionem, venoſa, dura, rigida, & præcipuè ſubtùs ac per margines ſunt hirſuta.

An *Pulſatilla V, ſive folio Anemones ſecundæ, vel ſubrotundo, à Caſparo Bauhino* in Prodromo deſcripta; cujus autem floribus petala ſeptem adſcribit, &, quòd inter folia proveniant, affirmat?

Aſperis, ſterilibus & incultis Boruſſiæ ac Caſſubiæ gaudet locis, ericetis, ſylvarumque marginibus: ubi planta una vel altera, floribus Hepaticæ rubræ inſtar pulchrè rubentibus, reperta. In Poloniâ candidiſſimis occurrit floribus, ut ILLUSTRISSIMUS atque CELSISSIMUS PRINCEPS ac DOMINUS, DOMINUS MICHAEL CASIMIRUS RADZIWILIUS, S. R. IMP. PRINCEPS, MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ VICE-CANCELLARIUS & EXERCITUUM DUX

PULSATILLA POLYANTHOS ANEMONES FOLIO, CUM FOLIIS ET FRUCTIBUS.



CAMPESTRIS &c. gratioſisſimè mihi primùm detexit: quæ poſteà à *Petro Breynio* Fratre, cum aliis generibus raris nondum deſcriptis, pubeſcente Majo, in Maſoviâ inter Warſaviam & Thorunium obſervata.

Cùm inter icones, Planta florens ſinè foliis tantùm repræſentata; in Lectoris gratiam, plantam deflorentem cum foliis & fructibus hîc ſubjunxi.

PULSATILLA FLORE OBSOLETO, CAULE NUDO.

Cap. LXII.

RAdice ac foliis, Pulſatillæ vulgari flore obſoleto perſimilis; præter *caules*, qui nudi planè nec ullâ redimiti coronulâ, cujus ſummo contra *Flos* multò major, magisq; patulus, è coloſſino obſoletus, foliis octo conſtructus, ac innumeris crocos flavos gerentibus ſtaminulis præditus, gloriosè inſidebat; huic plumoſa congeries cum Semine, à præcedente nihil diverſa, tandem ſuccedebat. Hoc *Pulſatillæ genus rariſſimum*, quale nec antè, nec poſt vidi, Anno M. DC. LX. cùm Patriam dulciſſimam maximo belli incendio Mars furibundus diſtringeret, à rhizotomâ mulierculâ ex Caſſubiæ montibus mihi initio Maji allatum.

JACO-

JACOBÆA ÆTHIOPICA LAVANDULÆ FOLIO.

Cap. LXIII.

Virgæ, ex radice quas fundit, rotundæ sunt, striatæ & incanæ, magnitudine Millefolii sylvestris; per quas *Folia* viridi-incana, uncias duas longa, culmum lata, nervo per medium decurrente crasso, similia foliis Lavandulæ. Virgarum fastigia in surculos quosdam, & hi in pediculos duos, tres, quatuor, pluresve, minutissimis donatos foliolis, abeunt; quorum singuli *Florem* è calyculo, torulis viridibus canaliculato, Jacobææ gestant minorem, radiatis aureis, per extremum incisis foliis, umbonem concolorem ex multis apicellis, sive tubulis constantem, coronantibus: qui in papposum tandem *Semen* oblongiusculum, Jacobææ vulgaris non dispar, abit. Gaudet locis herbosis Promontorii Bonæ Spei.

JACOBÆA ÆTHIOPICA LARICIS FOLIO.

Cap. LXIV.

NAscitur & inibi *Jacobææ Species* in ericetis *rarior*, *Ericæ facie*, quæ nomine *Ericæ flore luteo*, inde unà cum Jacobææ præcedente, & sequentis specie primâ, Anno M. DC. LXIV. ad ILLUSTRISSIMUM MÆCENATEM

TEM NOSTRUM missa. *Hæc* lignosus & parvus est Frutex, Ericæ similis; *ramos* ferens multos, dilutè virides, rotundos ac striatos, inferiùs ubi nudi, tuberculis densis, sive foliorum vestigiis delapsorum, punctulis veluti, inæqualiter utrinque, & in medio positis, instar Evonymi alterius Clusii insignes: cæteroquin, ab imo ad summum, numeroso ac denso agmine *Foliis* uncialibus & dimidiò minoribus, angustissimis, lætè viridibus, Pinastri tertii Hispanici pumili Clusio, vel Laricis accedentibus, at mollioribus, ita circumdati stipatiq; , ut ipsos ramos penitùs occultent. *Florem* in ramulorum & surculorum cymis plerumq; solitarium producit aurei coloris, stellatum, Jacobææ haud multùm absimilem, minùs autem folioſum, calyce longiore, maturitate in pappum evanescentem & *Semen* nigrum Jacobææ longius relinquentem.

JACOBÆA SPICATA MONOMOTAPENSIS.

Cap. LXV.

DUæ iisdem in locis *Jacobææ spicatæ* reperiuntur species. *Prior*: caule longiori, quàm prædictæ, adolescit, rotundo, striato, in ramos diducto satis longos; quos hinc indè *folia* sepiunt subrotunda, crassa & serrata, Euphrasiæ foliis quodammodò accedentia, in mucronem verò acutiorem desinentia. *Flores* scansiles per ramulorum longitudinem serie quâdam succedentes

gerit, veluti in ſpicam congeſtos, flavos, radiatos, diſco melino Jacobææ vulgaris minore, calyculo quoq; longiore & anguſtiore, ex numeroſioribus ſquamulis viridibus, fimbriam albam lanuginoſam habentibus, imbricatim compacto. Horum florum apicelli, in pappos reſoluti, unà cum *Semine*, Jacobææ paululum exiliore, avolant. Tota planta hirſutie quaſi ſubaſpera, & albâ lanugine obſita conſpicitur.

Alterius ſpeciei, caules itidem ſtriati ſunt & ramoſi, aſt minùs lanuginoſi; *Foliiſq;* pauciori-bus ſepti, ac *Floribus* rarioribus, ſurculo longiusculo, ſæpè ſolitariis inſidentibus, onuſti.

JACOBÆÆ AFFINIS PLANTA TUBEROSA, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. LXVI.

QVoniam in Jacobææ Hiſtoriam incidimus, non abs re fore exiſtimo, hîc loci *Plantam rariſſimam Capitis Bonæ Spei, pappeſcentem*, ſtudioſo Herbarum Contemplatori, antè oculos collocare; *quæ* mediam cum *Jacobeâ* & *Chondrillâ bulboſâ Lobelii* habere affinitatem videtur.

Radice eſt tuberoſâ, fuſcâ, in orbicularem latitudinem effuſâ, Cyclaminis facie: *Foliis* multis, Cyclaminis etiam haud valdè abſimilibus, ex ſaturè & dilutiore amœnâ viriditate eleganter variegatis; inter quæ *cauliculi* teretes, concavi, paucis foliolis ſepti, bini, terni, pluresve, dodrantalis

drantalis longitudinis exſurgunt, *Florem* unicum aureum, Jacobææ latifoliæ Pannonicæ tertiæ Cluſii ſimilem, in pappum abeuntem, ſuſtinentes. Hæc in Ramulo ſicco, & figurâ coloribus ſummo ſtudio, ad plantam, quæ in BEVERNINGIANO HORTO Anno M. DC. LXIIX. floruit, notare potui.

SENECIO VISCOSUS ÆTHIOPICUS, FLORE PURPUREO.

Cap. LXVII.

SEſqvipedalis, immò & cubitalis eſt Planta, *caule* ſolidiore quàm Senecionis vulgò noti, & Jacobææ in modum duro ac ſtriato, ramis aliquot prædito, præſertim ſuperiùs, ubi *Impiæ Plinii* de more, caulem excedunt; *Foliis* haud multis alternatim latâ baſi caulem amplectentibus, Senecionis vulgaris minùs laciniatis, quaſi circumroſis ac criſpis, quorum extrema pars faſtigiata. *Flores* in ramis & caule denſè coacervati & aphylli cernuntur, tubulis & ſtaminulis multis purpuraſcentibus conflati, ex calyculo ſtriato provenientes, ac vulgaris ritu celerrimè fatiſcentes in pappum, ſub quo *Semen* longiusculum, cinereum & ſtriatum, nihil â Senecionis noſtri, niſi quòd nonnihil majus, differens.

Senecio hic per univerſum hirſutus ac tactu viſcidus, juxtà Promontorium Bonæ Spei viget; Inde ILLUSTRISSIMO DOMINO â BE-

VERNINGK missus, à quo Anno M. DC. LXIII. munere, & posteà à *Dn. Doct. Huyberto* ac *Dn. Doct. Slado* accepimus.

ERIGERON ZEILANICUM LAMPSANÆ FOLIIS.

Cap. LXIIX.

MAgnitudine, foliis, caule & ramis, illi Cichorii generi, *Lampsana* à Dodonæo appellato, persimile; magis tamen hirsutum, *Floribus* uberrimis, pallidi coloris, Conyzæ cæruleæ acris Caspari Bauhini, minoribus, quos nulla ambiunt petala, onustum: *Semen* exile pappescens Conyzæ acris annuæ albæ Morisoni par, quod vento etiam lenissimo è residuis florum calyculis dispellitur. Ex *Zeylan* Insulâ, vel propter foliorum, vel virium fortè quandam convenientiam, nomine Betonicæ Anno M. DC. LXX. accepimus.

EUPATORIUM ERICOIDES CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. LXIX.

DUæ inprimis, sub Eupatorii nomine descriptæ, inter alias, Plantæ, apud Auctores reperiuntur. Prima, *Agrimonia*, quæ verum Dioscoridis

ſcoridis & aliorum Græcorum Eupatorium exiſtimatur. Altera, *Herba S. Kunigundis Tragi*, quibusdam Eupatorium *Abvali Ibn-Tſinæ*, ſeu Arabum (ſed perperàm) creditum. *Illi*, quæ lappulas echinatas ferens eſt planta, *Agrimoniæ* nomen; *Huic*, quæ planta pappeſcens, *Eupatorii*, relinquo, maximè cum Botanici quidam hujus ſeculi præcellentisſimi, verum ac concinnum in hoc ſtudio ordinem venantes, ita hoc disponere (uti ferè patet) cupiant. Quanquam & minimè redarguendi, qui *Agrimoniæ*, cùm Eupatorio Antiquorum magis conveniat, *Eupatorii* nomen relictum; utq; *Eupatorium pappescens* alii, aut jam dicto Tragi nomini *Herba S. Kunigundis*, ſubderetur, præoptarent. Judicium autem de his, aliis permitto, meq; ad *Eupatorium pappeſcens* converto: de quo præter jam ab aliis deſcriptas, complures adhuc novas exhibere ſpecies in Herbario meo poſſum.

Et quidem inter cæteras *Eupatorium Africanum* hoc *rariſſimum*. Quod *Suffrutex* eſt lignoſus, frequentiſſimis ramis, tortuoſis & duris divaricatus, ad figuram Ericæ Myricæ folio incanæ (floribus & ſemine exceptis) tàm propè accedens, ut non ovum ovo ſimilius: quoniam non rami tantùm; ſed *Foliola* etiam eorum, quibus denſisſimè Ericæ penitùs vulgaris modo contecti, tomento adhærente albicantia ſunt & incana. *Floſculi* verò in ramorum apicibus, in muſcarios parvos conglomerati, Eupatorii conſpiciuntur perſimiles; ſed minores multò, & ſubtilioribus ſquamulis purpuraſcentibus imbricati; è quorum medio purpureus promi-

net tubulus, *Semini* pappoſo inſidens, quod maturum, nigreſcit, nec quicquam ab Eupatorii vulgaris ſeminibus diverſum.

EUPATORIO AFFINIS PLANTA ZEILANICA, FOLIIS ULMI.

Cap. LXX.

ALtius Africano, penè ut vulgare, *Herba S. Kunigundis* à Trago dictum, *caulibus* rotundis, ſtriatis, in viridi aliquantulum purpuraſcentibus, ſapore (in reſiccatis) ſalſo, fruticat; quos *Folia* Ulmi vulgaris æmula, ſed minora, versùs pediculum faſtigiata, ac ſenſim latiora, rotundioraq; evadentia, parvis intervenientibus pediculis alternatim ambiunt. Caulium faſtigia in ſurculos aliquot dividuntur, atq; hi rurſus plures in petiolos, quibus incompoſiti *Flores* umbellam mentiuntur, Eupatorii Ericoidis floribus ſimiles, ſed pallidi ſeu ſtraminei coloris, atq; ex compluribus ſtaminulis conflati. Seqvuntur *Semina* minuſcula Stœchadis citrinæ Herbariorum paria; inter quæ, in meditullio calyculi crebris ſquamulis compactiles, prætereà velut ſpadiceus, exiguus & durus *Fructus*, ſeu *Vaſculum ſeminale coniforme* excreſcit, ſuperiùs ſæpè reflexum, intùs inane & ſplendidum, quantùm obſervare licuit.

CHRY-

CHRYSOCOME ÆTHIOPICA PLANTAGINIS FOLIO.

Cap. LXXI.

SI *Planta Lavandulæ affinis* ista *verticillata*, pro *Stœchade Arabicâ* ubique nota, nomen retinere debet; quam ob causam *Chrysocomæ*, *Stœchadis citrinæ* nomen possideant, non video. Nam, si *Stœchas Arabica*, citrinis inveniretur floribus, potiore jure *illa* cum *Elichryso duodecimo Caspari Bauhini*, nomen *Stœchadis citrinæ* sibi vendicarent. Commodiùs igitur, meâ opinione, *Stœchadibus citrinis Herbariorum*, nomen *Chrysocomes* cum Clusio tribueretur, quin etiam cum Chrysocome Antiquorum meliùs, quàm Stœchade conveniunt.

Chrysocome annumerandi ergò omnes *Caspari Bauhini Helichrysa*, excepto *primo, sive foliis Abrotani*, quæ planta corymbifera; & *duodecimo, sive Stœchade viridi capitulo oblongo*, quæ planta verticillata, à Johanne Bauhino optimè Stœchadi Arabicæ, cujus vera species, addita. Similiter ad *Chrysocomes* vexillum pertinent *Gnaphalia Caspari Bauhini*, præter *primum sive maritimum*, quod cum *septimo* & *octavo*, sive roseo sylvestri & hortensi, ad Corymbosas amandari debet. Sed prætermissis jam cognitis, ad novas describendas, & quidem primò ad *Chrysocomen Africanam Plantaginis folio*, ab omnibus aliis diversam, quam ex liberalitate ILLUSTRISSIMI DOMINI à BEVERNINGK

habeo,

habeo, & postmodùm Anno M. DC. LXX. *à D. Slado* accepi, me jam accingo.

Hæc ex *Radice* nigrâ & fibrosâ, *caulem* fert lignosum, firmum, plùs fermè quàm pedalem, sæpiùs alios cauliculos producentem, vel minimè, vel parumper & quidem superiore tantùm medio lanuginosum, ubi penè nudus, aut pauca saltem foliola habet: inferior verò ejus medietas, *foliis* compluribus condecoratur, viresçentibus & glabris, Plantaginis lanceolatæ perbellè æmulantibus; sed brevioribus, latioribus, longeque multò rigidioribus, per oras modicè reflexis & crispulis, supinâ parte eleganter splendentibus; in quibus nervi quinq; insigniter conspicui secundùm longitudinem, cum venulis satis validis per latitudinem vario flexu discurrentibus, cernuntur. Horum infima longiusculis & latis pediculis fulciuntur; reliqua verò sinè pediculo cauli adnata, marginibus utrinque in caule adeò devergunt, ut planè alatus videatur. *Flosculi* caulium & ramulorum fastigia occupant in comam cohærentes, Stœchadis citrinæ Italicæ Johannis Bauhini simillimi, at breviores, è squamulis ex stramineo & ferrugineo mixtim colore compactiles, quorum apices medii, cum maturitate in papposum *Semen* exiguum Stœchadis citrinæ Germanicæ abeunt, & aurâ levissimâ dissipantur.

In locis Capitis Bonæ Spei sterilibus luxuriat, ubi Vere floret, & præterlapsis aliquot Hebdomadibus Semen magnâ abundantiâ profert.

CHRY-

CHRYSOCOME PEREGRINA major frutescens.

SUffrutex lignosus est atq; ramosus, cubitalis altitudinis, lanugine candidissimâ obductus: *Foliis* multis, Chrysocomes Germanicæ majoribus: *Floribus* Gnaphalii Americani Clusii, coloris verò vel citrini, vel immortali auri fulgore resplendentibus, ac subindè multò longioribus, Lupulorum capitula quodammodò æmulantibus.

Colitur in viretis Belgii, ubi Anno M. DC. LIII. apud D. Davidem Brabandt nomine *Gnaphalii Alexandrini*, & Anno M. DC. LX. in Horto publico Amstelodamensi, nomine *Gnaphalii Americani majoris flore aureo*, legi.

An *Stœchas citrina, floris & magnitudine, & colore speciosa, Johannis Bauhini?*

CHRYSOCOME GERMANICA, FLORE igneſcente, ſive ex aureo rutilante.

STœchadi citrinæ Germanicæ latiore folio Johannis Bauhini, in omnibus similis, præter squamulas florum, quæ admodùm eleganter ex aureo in modum prunæ rutilant, & aspectu pulcherrimè jucundissimèq; splendent. Nascitur in Cassubiæ sterilibus arenosis & apricis locis, præsertim sublimioribus; Julio & Augusto floret; Septembri & Octobri perficiuntur Semina. De hujus plantæ facie & viribus, jam quædam in *Miscellaneis Curiosis Medico-physicis Academiæ Naturæ Curiosorum* monui.

CHRYSOCOME GERMANICA, flore sangvineo.

PErsimilis antecedenti, Flosculis exceptis, qui longiores, & squamulis sangvinei coloris

imbricati sunt. Planta valdè rara, quæ unica tantùm ex Cassubiæ montibus, mihi Anno M. DC. LXII. mense Julio per rhizotomam mulierculam allata.

CHRYSOCOME SYRIACA, flore atrorubente.

PUlchra quoq; species Chrysocomes in Syriâ reperitur, *Baccharis* Rauwolfio dicta, *Foliis* plerumq; majoribus quàm Germanicæ; *Floribus* verò brevioribus, quorum squamulæ atrorubenti colore tinctæ, quantùm ex plantâ siccâ Rauwolfianâ, in Monte Libano erutâ, aliisque duabus in Monte *Carmel* ab *Excellentissimi Domini Jacobi Golii p. m. Fratre* collectis, observare licuit.

CHRYSOCOME SYRIACA, candidissimis floribus.

NOn ita obvia alibi, quàm in Saxosis Libani montis, ubi à Rauwolfio reperta, in cujus Herbario plantam exsiccatam vidimus dodrantalem. *Folia* ejus incana, latiora Chrysocomes Germanicæ atque breviora; *Flores* summis caulibus insident pauci, ex argenteis retorridis squamulis compactiles, Gnaphalii montani floribus rotundioribus candidis haud impares, sed grandiores.

CENTAURIUM MAJUS AFRICANUM, FLORE AUREO ODORATO.

Cap. LXXII.

PRimâ aliquando, quâ seritur, æstate, nisi cœli nostri inclementiâ impediatur, vel altero

pòst

pòst anno, *caulem* emittit dilutè viridem, sesquicubitalem & proceriorem, crassitudine auricularis, solidum, durum, striatum, aliquot ramis concavum: circa qvem glabra, venosa, ac viridantia sunt *folia*, Erucæ, vel si mavis, Iaceæ pumilæ (in horto culto) Lobelii, in modum laciniata, dodrantalia & palmaria, ac quò magis in summitate exeunt, eò minora profundiùsq; dissecta; qvæ autem â terrâ circa caulis pedem proveniunt, multò sunt ampliora, pedali nempe longitudine, latitudine verò quatuor aut quinq; digitorum, Hippolapathi vel potiùs Armoraciæ formâ, rigida, rugosa, per ambitum serrata, & versùs pediculum laciniata. *Capitula* caulis & ramorum summitatibus singula insident, rotunda, in latum turbinem fastigiata, Centaurii majoris lutei Cornuti majora, atque pari imbricata squamulorum commissurâ, tàm accuratè loricata, ut lævia ac quasi polita videantur: ex quibus *Flores* staminei aureo colore perbellè fulgentes, atq; svaviter olentes exeunt. His flaccidis *Semen* album Cnici, in summo, cili instar hirsutum, albâ involutum lanugine, succedit. *Radice* nititur longâ, crassâ, aliquot ramis præditâ, fuscâ foris & corticosâ, intùs albescente & resinosâ, saporem dulcem ac gummosum habente; quæ perennis, frigoris autem impatiens & Solis caloris avida. Expetit enim solum calidum, Barbariæ nempe colles & incultos, præsertim non procùl *Gigeri* sive *Gigel* Urbem Mauritaniæ. Floruit Anno M. DC. LXIIX. in horto nostro, ex Semine per *Nobilissimum Dominum Carolum Sweikerum, Philobotanum & Scabinum Patriæ meritissimum*, Monspelio allato.

CHAMÆMELUM ÆTHIOPICUM LANUGINOSUM.

Cap. LXXIII.

C*Hamæmelum* hoc prorsùs novum, cujus munificentiâ ILLUSTRISSIMI DOMINI â BEVERNINGK compos factus, pulchrum ſanè ac perrarum eſt, eâ fermè, quâ Romanum, facie, in Promontorio Bonæ Spei creſcens; quanquàm minus, & ramos teneriores densâ lanugine pubeſcentes, ſpargens; *Foliis* minoribus lanuginoſis, Millefolii lutei junioribus & magnitudine quadantenus & figurâ ſimilibus. Ex ramulorum cymis, inter folia, *pediculus* palmaris ferè, gracilis & lævis exit, qui in ſummo, in *capitulum* læve, ſtriatum, ex viridi albicans & veluti rorulentum, crenis magnis & obtuſis per circumferentiam coronatum, paulatim crasſeſcens abit: cujus medio *Flos* Chamæmeli vulgaris, diſco ex tubulis mille minutisſimis luteis conflato, foliolis candidis, ſed perquàm puſillis, ut Aſteris cernui Columnæ cincto, eleganti ſpectaculo inſidet. Excuſo flore, *Semen* copioſum, nigrum, Chamæmeli inodori minus, ſequitur.

Hæc Planta, quam *Chamæmelum* quidem nuncupavi; propter capitula tamen, parumper â Chamæmelo recedere, & medium quoddam genus inter hoc & Aſterem cernuum Columnæ videtur prætendere.

CHA-

CHAMÆMELUM LUSITANICUM LATIFOLIUM, SIVE CORONOPI FOLIO.

Cap. LXXIV.

ANno M. DC. LXIII. plurimas inter plantas, ex seminibus Lusitanicis in Horto publico Amstelodamensi enatas, *Chamæmeli speciem pulcherrimam* Mense Julio florentem collegi; *cauliculis* multis ab unâ radice prodeuntibus, & summâ tellure magnâ ex parte sparsis, sesquipedalibus, teneris ac leniter hirsutis, superiùs maximè: quos *Folia* sinè petiolis alterno positu vestiunt, utrinque in lacinias novem aut decem laterales divisa, mediam quandam inter Coronopi maritimi minimi hirsuti, & Tanaceti alpini (adhærentia cauliculis folia) Caspari Bauhini, figuram obtinentia. Singuli caules & rami singulos *Flores* producebant, tàm capitulo, quàm aliàs Chamæmeli Romani flore simplici, æquales, quorum candidissima, ad ungvem citrina, anteriùs dissecta petala, discum, totum tubulis amplioribus luteis obductum, & ita figuratum, ut ab imo latior, in angustum verticem exacuetur, rotatim ambiebant. De *Semine* mihi non viso, nihil divinare possum.

An Leucanthemum segetum, folio serrato, nondum descriptum; *Magarca Lusitanorum*, Domini Gabrielis *Grisley*, Chymiatri & Botanici, in *Viridario Lusitano*?

BUPHTHALMUM CRETICUM COTULÆ FACIE, FLORE LUTEO, ET ALBO.

Cap. LXXV.

COntroversia haud levis inter Doctos viget, an *Buphthalmum* & *Chrysanthemum Dioscoridis*, plantæ duæ sint distinctæ, vel una saltem & eadem. *Qui unam esse* credunt, sententiam suam his firmare rationibus nituntur: quòd Dioscorides utrique plantæ Buphthalmi nomen tribuat; formâ ac viribus conveniant; & quòd ea de Buphthalmo tradiderit Plinius, quæ de Chrysanthemo prodidit Dioscorides. *Alii* contra, *qui diversas esse* plantas volunt, ex Dioscoridis descriptione sequentia obtendunt discrimina. *Primum*, quòd Buphthalmo folia insint Fœniculo similia, quæ planè capillaria; Chrysanthemo verò multifida. *Deinde*, Chrysanthemi caules in cibis mandi aliorum olerum modo scribit Dioscorides: id quòd de Buphthalmo agens silentio præteriit. *Præterea*, quòd flores Buphthalmi reddiderit Anthemidi similes: Chrysanthemi verò luteos & vehementer splendentes. *Cæterum*, de horum viribus disserens, Buphthalmi flores, cum cerato tritos, tumores duritiasque discutere tradidit in universùm & affirmativè locutus: verùm posteà de Chrysanthemo scribens, hujus flores, inquit, Steatomata discutere produntur, particulariter & dubiè locutus. Sed dicat quicquid velit *Doctissimus Matthiolus* (cujus adducta sunt

sunt verba) non satis tamen valida sunt sua argumenta ad reddendam sententiam ejus indissolubilem. Nam *primò*, quòd etiam *Fœniculi* folia sint multifida, negare nemo potest: quòd autem Buphthalmi Matthioli folia, similitudinem nullam cum Fœniculi habeant, cuique cernere licet. *Secundò*, Dioscorides in describendo Buphthalmo neglexisse videri posset commemorare, caules in cibis mandi aliorum olerum modo; sed quid? neque tamen usum hunc impugnat; qui è contrariò â Plinio Buphthalmo tribuitur. *Tertiò*, videre nequeo, in quibus Dioscoridis verba, cùm Buphthalmi flores, Anthemidi reddit similes; verbis, quibus Chrysanthemi flores exprimere studuit, repugnent: nisi fortè pro Dioscoridis, Galeni acciperem: verùm enim verò tum facilè Dioscoridis, luteum florum colorem apertè exprimentia, in rectam me reducerent semitam, ut cum eodem Matthiolo (in descriptione Buphthalmi) facilè colligerem, Galenum Buphthalmi flores, floribus Anthemidis similes reddentem, hoc tantùm de eâ intelligere Anthemide, quæ luteos profert flores. *Qvartò*, parùm etiam efficit Dioscoridis de Buphthalmi florum viribus, mala antè memorata relevantibus, verbo illo, *discutiunt*; affirmativè: & in Chrysanthemo additâ voce *producuntur*, dubitativè scripsisse; cùm mihi sit persvasissimum, illum etiam aliis in locis, de herbarum viribus, affirmativè nonnulla, sibi non explorata, sed vel ex aliis tantùm Auctoribus, vel auditu percepta, tradidisse: quod in Buphthalmo etiam accidere potuit. Sed de eo in præsentiarum satis.

Ego

Ego pro tenuitate meâ, Dioscoridis de Chrys-
„anthemo descriptionem, ita se habentem, libro
„IV. cap. 58. *Chrysanthemum aut Caltha, nonnullis Buph-*
„*thalmos: herba est tenera, fruticosa, læves proferens cau-*
„*les, & multifida folia: flores suprà modum splendentes,*
„*luteos, orbem oculi imitantes, unde Buphthalmi nomen*
„*traxit: propè oppida nascitur. Cujus caules oleris vice*
„*manduntur. Flores cum cerato triti, steatomata discu-*
„*tere produntur: regio morbo correptis, colorem brevi*
„*reddunt, si sequente longo balnei usu, post exitum ebi-*
„*bantur*; cum Buphthalmi, quæ hæc est, libro III.
„cap. 156. *Buphthalmon (quidam Cachlam vocant) te-*
„*nues emittit cauliculos, mollesq; : folia fœniculi: luteum*
„*florem, anthemide majorem, oculi similitudine, unde no-*
„*men traxit: circa oppida nascitur, & in campestribus:*
„*Flores cum cerato triti, tumores duritiasq; discutiunt.*
„*Ajunt epotam post exitum à balneis, regio morbo corre-*
„*ptis, colorem tractu temporis reddere*; valdè concordare fateor; ita ut colligere liceat, Buphthalmum & Chrysanthemum unam & eandem esse plantam: atq; hoc eò magis, quoniam hanc quoque fovere sententiam videtur Plinius, qui Dioscorideas Buphthalmi & Chrysanthemi descriptiones in unam, hoc modo breviter contraxit
„libro XXV. capite 8. *Est & Buphthalmos, similis*
„*boum oculis, folio fœniculi, circa oppida nascens, fruti-*
„*cosa caulibus, qui & manduntur decocti. Quidam Cachlam*
„*vocant. Hæc cum cerâ scirrhomata discutit.* Attamen de incertis certi quicquam statuere non sustineo.

Hoc verò liquet, Buphthalmum Dioscoridis plantam (quà formam) esse tenuibus & mollibus cauliculis, fœniculi foliis, & flore luteo Anthemide majori. Quod etiam Alpinus de

plantis

plantis exoticis libro II. capite 49. paginâ 321. benè annotavit: qui pro Buphthalmo Dioscoridis, *peregrinum* suum existimare haud malè inclinat: Huic non admodùm dissimilis planta, per Dominum Johannem Henricum **Tonnenbinder** (qui eandem in Horto Patavino, & ILLUSTRISSIMI CONTARENI collegit) jam dudum sicca ad me pervenit.

Hæc verò horti mei nunc etiam alumna, Chamæmelo persimilis, albam possidet *Radicem*, densis fibris se in terram figentibus, tenuibus & aliquantulùm tortuosis; initiò nullius manifesti saporis, sed diutiùs in ore dentibus pressa, satis acrem, fermè ut Pyrethri lingvæ relinquens. Ex illâ, densa in orbem circa terram *Folia* erumpunt, leniter hirsuta, magnitudine, divisurâ & formâ Pyrethri Bellidis flore Caspari Bauhini planè respondentia: inter quæ *caulis* penè cubitalis, nonnunquam etiam duntaxat pedalis, rotundus, mollis, cum tempore durior, coloris viridis, vel ex viridi albicantis propter hirsutiem, surgit; foliis minoribus, Chamæmeli magis convenientibus, sed crassioribus, in lobulos latiores divisis; ex quorum sinu, alæ, utplurimùm longitudine caulem superantes, in tali abundantiâ, præsertim statim circa radicem, prodeunt; ut densa & orbiculata plantæ effigies subindè videatur ob alarum multitudinem obliquè & resupinè se propagantium. *Flores*, cui subest squamosum capitulum, squamulis viridibus lanuginosis, triplici serie contextum, Buphthalmi Alpini floribus non parùm assimilantur; nisi quòd illorum petala, tredecim plerumq; numero, majorem, in medio

pauliſper quaſi exſculptum ſive concavum, ex plurimis flavis tubulis condenſatum orbem, circumambientia, breviora, latiora, lineis ſeu plicis ſtriata, & dilutiore flavedine ſint imbuta, inprimis cùm ad ſenium vergunt, & parte inferiore, ubi penè tantùm ſulphurea, conſpiciuntur. Primus horum florum, in mèdio plantæ ſupra caulem menſe Junio exit, deinde alii in alarum majorum cacuminibus, & tandem reliqui in ramulis lateralibus, veluti ſuccedanei ita ſe excipiunt, ut planta hæc totam non modò calidam æſtatem atq; auctumnũ fertilem, floribus condecoret; ſed triſte ſenium etiam ſubindè anni, genialiter coronet; meſſemq; ſemper uberrimam, latè compreſſorum *Seminum* ſaturè purpureorum, inter ſqvamulas tenues membranaceas & latas, ejusdem planè coloris, nitentes, firmiter & ſolidè jacentium proferens; quæ tandem ſicuti etiam ſquamulæ ipſæ, Regiæ ſuæ ſplendorem purpuræ, cum illepido colore ſpadiceo triſti commutant; & in generis ſui conſervationem apud nos quotannis ſunt ſerenda. Planta hæc nullius excellentis eſt odoris, præter flores ſubdulcem & medicatum quadantenus, ſapori calidiuſculo & aromatico penè ſimilem, ſpirantes.

Species adhuc *alia* ejusdem generis occurrit, *Buphthalmum Creticum Cotulæ facie flore albo* dicta: à priori in eo tantùm discrepans, quòd florum petala, quæ luteum illum magnumque umbonem circumradiant, non dilutâ flavedine aureſcant, ſed ſplendidè argenteo concolore lacteſcant. Unde flores, Pyrethri perquàm ſunt ſimiles, tantamque huic plantæ ſimilitudinem

cum

cum Chamæmelo conciliant, ut cujuslibet penè conſpicientis oculo, ſpecies quædam Chamæmeli viſa ſit.

Obſervatum *hoc* primâ vice mihi adhuc adoleſcenti Anno M. DC. LIII. in Horto Academico Lugduni Batavorum, & poſteà beneficio Seminis, ab *Excellentiſſimo, Nobiliſſimo Domino Doct. Arnoldo Sye, Medicinæ & Botanices Profeſſore Celeberrimo* Anno 1673. mihi transmiſſi, meoque in horto enati; ac magnam ſui copiam reddentis. Ex quo Anno 1675, inter complures albis floribus, unica etiam de primâ ſpecie planta, floribus luteis progerminavit.

CHRYSANTHEMUM ARBORESCENS ÆTHIOPICUM, FOLIIS POPULI ALBÆ.

Cap. LXXVI.

TAmetſi præcedenti Capite, dilucidè ſatis oſtenſum, nos ab illorum opinione, qui *Buphthalmum & Chryſanthemum Dioſcoridis* unum eſſe volunt, non abhorrere; attamen aliud hîc plantæ genus, à *Buphthalmo* noſtro *Cretico* parumper diverſum, nomine *Chryſanthemi* (quoniam illud, apud Præcellentiſſimos Botanicos, eo nomine notum) repræſentare placuit.

Et quidem primò *hoc* perrarum: quod *Frutex* eſt crebris & denſis ramis, quorum juniores denſum ob tomentum albidi; in quibus *Folia* ſubrotunda, craſſo modo in ambitu ſerrata, ac lanu-

gine densâ rasili in utrâq; superficie obducta, Populi albæ minoribus simillima. *Flores* in ramulorum extremitatibus, aureo colore fulgentes, Chrysanthemi Canadensis bidentis, alato caule, *Domini Morisoni*, haud malè æmulantes, se præbent, umbone croceo, multis petalis nervosis, anteriore parte denticulatis, radiato, constantes. His demum *Semina* oblongiuscula, anguloſa & solida Chrysanthemorum ritu reliquorum succedunt. Frequens circa Promontorium Bonæ Spei, & in Regionibus adjacentibus.

Icon ex Ramo sicco ILLUSTRISSIMI MÆCENATIS, nobis absentibus facta, dimidiam tantùm floris partem, & minùs feliciter, quàm optaremus, repræsentat.

In Tabulâ Chrysanthemi arboreſcentis, Ramuli duo *Bellidis* cujusdam *luteæ Africanæ repentis*, BEVERNINGIANO in Horto â Fratre collecti, nomine *Chrysanthemi exotici minoris capitulo aphyllo*, propoſiti sunt. Hujus Plantæ integræ iconem, postmodùm *Excellentisſimo Domino Arnoldo Sye*, pro innatâ gratificandi promptitudine, nobis donare complacuit, simul cum Historiâ sequenti accuratisſimè concinnata.

BELLIS LUTEA, SIVE CHRYSANTHEMUM Capitis Bonæ Spei repens, flore aphyllo, Domini Syes.

Radicibus nititur hæc planta teneris, albicantibus, nec ita profundis; ex quibus *cauliculi* „ emergunt rotundi, glabri, coloris pallido vire„ scentis, & aliquibus in locis quandoque ex fu„ sco subrubicundi: dividuntur hi rursus in alios mino-

minores, utplurimùm versùs terram procum-
bentes, quam, ubi attingere valent, mox novas
radiculas emittunt. *Foliis* donatur ex glauco
virescentibus, longiusculis, & inordinatè inci-
sis, ac Coronopi folia quodammodò referenti-
bus, caulemq; semper ambientibus: in singulis
autem caulibus, unicus conspicitur *Flosculus*,
lutei coloris, ex innumeris staminulis sive exi-
guis tubulis constans, instar orbis, sive disci
floris Chrysanthemi vulgaris, quem nulla amb-
iunt folia, quare & aphylli nomen inditum.
Semen maturum exiguum est & subrufi coloris,
proximèq; ad Chrysanthemi vulgaris semen
accedit: quod cum ipso flore odorem spirat
haud ita gratum. Universa autem planta (apud
nos) annua est, & satis copiosè ex deciduo se-
mine repullulat.

CHRYSANTHEMUM CONYZOIDES LUSITANICUM.

Cap. LXXVII.

ALbam, aliquando ramosam, habet *Radicem*, fibris dependentibus: ex quâ *Caulis* rotundus enascitur cubitalis, lenissimis & minutissimis pilis pubescens, præsertim in summitate; qui terræ partim incumbit, partim se surrigit, & in ramos multos pandit. *Folia* ejus alternatim absque pediculo sunt posita, lanuginosa, extremitatibus nonnihil reflexis, Conyzæ minimæ Lobe-

lii foliis respondentia, majora paulò tamen, lætioreque viriditate prædita, haud crispa vel undulata: ex horum sede & ramulorum angulis, non minùs quàm in caulium fastigiis, *capitula* proveniunt solitariè ac dura, foliis quinque, septem, vel etiam quandoque novem circiter majoribus, & quinque, vel pluribus minoribus, molliusculis, viridibus, & radiatim expansis subtùs donata; in medio verò *Flos* lutei coloris, cujus foliola per extremum denticulata, orbem ex compluribus staminulis conflatum coronant: quò evanescente, parva *Semina*, angulosa & solida, impensè incana, argenteique nitoris & serico tactu, succedunt. Tota hæc Planta, præsertim trita, Odorem aromaticum & resinosum à Conyzæ non multùm abludentem spirat. Sapor itidem est aromaticus & ferè fervidus.

Si quis, *Chrysanthemum hoc*, cum *Astero secundo Clusii* conferat, convenientiam illorum facilè observabit. Sunt autem *Clusii* florum petala, longiora: differunt & capitulorum folia viridia; quæ è contrariò minora & pauciora: sic & hirsuties, in caule, ramulis & foliis, etiam hispidior cernitur; ut cuique facilè, ex primo intuitu figuræ Clusii, animadvertere licet: præter hæc nullius certi odoris & saporis à Clusio mentio fit, qui in nostro notabilis.

CHRY-

CHRYSANTHEMUM CONYZOIDES ÆTHIOPICUM, CAPITULO APHYLLO, FOLIIS MAJORANÆ.

Cap. LXXVIII.

Africanam quandam *Plantam* lignosam, Chrysanthemis quoque adnumeramus: cujus Flos, non illius vulgaris ritu, stellatus; sed Chrysanthemi more Valentini Clusii aphyllus: propterea autem à Chrysanthemis tàm minùs separandam, quàm Chamæmelum nudum & Matricaria flore aphyllo, à suis speciebus, quarum florum umbones, æquè ac Chrysanthemi, petalis stellæ modo cinguntur.

Lignosus verò hic *Frutex* pedalis, Conyzæ minimæ Lobelii facie quodammodò nascens; in plurimos se expandit ramos, rotundos, striatos; quos numerosa & conferta ambiunt *Folia*, Majoranæ hortensis foliorum formam & Sanamundæ primæ Clusii non malè æmulantia, villosiora tamen ac parumper minora, odoris & saporis aromatici, Menthæ corymbiferæ, seu Costi hortensis instar. Summis ramulis singularia, eorum autem angulis sæpiùs plura insident *capitula*, dura, villosa, discum luteum staminulis plurimis constantem sinè radiatis in ambitu nascentibus foliolis, continentia: donec tandem eadem staminulorum locò, *Seminibus* solidis & angulosis, ex cinereo colore albicantibus, Fœniculi seminis magnitudine, onerentur. In Bonæ Spei Promontorii

torii locis herboſis, oritur, ubi Menſe Octobri & Novembri vernat; unde ſub nomine Conyzæ minoris, ſæpiùs jam memorato ILLUSTRISSIMO DOMINO à BEVERNINGK miſſum.

CHRYSANTHEMUM AIZOOIDES AFRICANUM PRIMUM, S. LATIFOLIUM.

Cap. LXXIX.

NOvi prorsùs *Chrysanthemi* tria genera, mihi antè duodecim vel tredecim annos *Aſteri Aizooides* nuncupata, à nemine, vel verbo etiam leviter tacta, propono, ſubſtantiâ Sedo ſive Aizoo planè ſimilia, ſed quantùm mihi liquet, nulli convenientiùs, quàm Chrysanthemo, inprimis generi Floris Solis nomine decantato adjungenda.

Primum genus, nobis *Chrysanthemum Aizooides Africanum, latifolium, flore citrino* appellatum, antè plures, quàm XVII. annos, Amici noſtri *Caroli Chivry p. m.* hortus Amſtelodami, ex ſemine à Promontorio Bonæ Spei delato, dedit. Cujus *caules* cubiti altitudinem contingebant, glabri, teretes, ſucci pleni & coloris ex viridi albicantis: *Foliis* diluto nec invenuſto virore pictis, per longa intervalla, frequenter binis donabantur, Portulacæ craſſitie & ſucculentiâ; ſed Calendulæ, quâ figuram & magnitudinem reſpondentibus: è quorum alis, ramuli aliquot pullulabant, minoribus foliis, & Gemmis jam jam onuſti, ſed earum

rum florea spes intempestivis pruinis præusta decoxerat. Nam cujuslibet tantùm caulis summitas, *Florem* saltem unicum peramœnum, ex capitulo viridi, crasso, in folia seu lacinias quinque decusato, Mense Septembri vel Octobri offerebat, eâdem quâ flos mediocris Calthæ amplitudine; Floris autem Solis figura, umbone citrini coloris, quem per circumferentiam concoloribus, angustissimis ac uncialibus petalis copiosè cingunt, constante. *Semen* mihi non visum, sequentium par judico.

Figuræ, ad Plantam siccam molliusculis albicantibus villis præditam, à Pictore accuratè expressæ, pili insunt nimis rigidi & folia aliquantùm angustiora.

CHRYSANTHEMUM AIZOOIDES AFRICANUM SECUNDUM, S. TERETIFOLIUM.

Cap. LXXX.

CHrysanthemi aizooidis Africani secundum genus; raritate ac venustate primum antecellens, locis apricis atque arenosis iterum iterumq; memorati Promontorii, cui Flora Æthiopica insedit, nec non confinis Insulæ, à Phocarum in illam demigrantium copiâ, Batavis **Robben Eyland** dictæ, delectatur.

Hoc, ex *Semine* ad fuscum inclinante, subrotundo, & ejusdem ferè quâ Hormini magnitudi-

ne, (quod MÆCENATIS NOSTRI gratiæ debemus) in horto noſtro feliciter An. cIↃ IↃc LXVII. & LXVIII. ſuccrevit. *Radice* verò conſtabat dodrantali, digitum craſsâ, tereti, & albâ, Raphani minoris oblongi, quâ figuram & conſiſtentiam ſimili, ſapore tamen aqueo: ex hujus capite, *folia* complura ſucculenta, ſeſquipalmaria, digiti infantis ferè craſsitie, teretia & flavo viridi lævore nitida edebat, quorum plurima convexa, ac in extremitatibus ſiccata. Inter hæc duo, tres, vel etiam, nî fallor, *Caules* plures, magnitudine & craſsitie foliis penè æquales, porrigebantur: *Florem*, partim Hortulani mei negligentiâ, partim frigoris ingruentis acerbitate, nullum proferebat; ſed in plantarum rariorum abundantisſimo HORTO BEVERNINGIANO, avarum ſui ſpectaculum, Solis radiati inſtar formatum indulgens, ſummâ pompâ oculos ditabat, eâdem quâ primi generis figura; niſi quòd duplò penè major, umbone aureo, petalis latioribus & majoribus ſulphureis, in imâ parte flavis, radiato, fuerit. Folia inſuper, aut laciniæ Capitis ſtellatæ, teretes & falcatæ erant. Plantam annuam, flore ſemineq; edito, evaneſcentem judico. Figura noſtra ad ILLUSTRISSIMI DOMINI HIERONYMI à BEVERNINGK picturam expreſſa.

CHRY-

CHRYSANTHEMUM AIZOOIDES AFRICANUM TERTIUM, SIVE TRIANGULARI FOLIO, FLORE AUREO; EJUSQVE SPECIES.

Cap. LXXXI.

TErtii *generis*, quatuor iisdem in locis reperiuntur ſpecies: quarum tertiæ & quartæ figura *à Domino Doctore ten Rhyne* ſub nomine Sedi majoris & minoris trigoni, ex *Decimâ* Japoniæ confini Inſulâ, mihi transmiſſa.

CHRYSANTHEMI AIZOOIDIS Africani tertii generis, ſpeciem primam; ſive

CHrysanthemum *Aizooides Africanum triangulari folio, flore aureo*, etiam Anno cIↃ IↃc LXVIII. in horto meo educavi. *Radicem* habebat ſecundo ſimilem; ſed grandiorem: quæ aliquot humi jacentia, aliquot inde ſe efferentia, in orbem, velut Aloë pumila eſſet, *folia* diffundebat, jucundo virore oculos delectantia, dodrantalia, digitalis verò craſſitiei & triangularis figuræ. Ex illorum medio, *caules* rotundi, ex viridi albicãtes, tres aut quatuor, plùs quàm pedales, binis utplurimùm, &, ut inferiora triquetris; ſed minoribus *foliis* prædíti, prorumpebant. Horum unicuique, ſeneſcente autumno, craſſum, oblongum, in quinque lacinias anguſtas diſſectum, calycis calloſi Avellanæ Lombardicæ ſimile, *alabaſtrum* addebatur: quod occultum ſuum decus, meo etiam, ſicut præcedens, hor-

to invidit, quò BEVERNINGIANI maneret proprium ornamentum; ubi ſtellæ in modum, in quinque angulos reſolutum, *florem* aureo fulgore comantem protulit, primi generis minorem, umbilico dilutiore, tres viſu jucundos virides circulos exhibente, ornatum. Quantùm ex picturâ, (omiſſis caulibus) vivis coloribus in membranâ puriſſimâ affabrè illuſtratâ, atque, ab ILLUSTRISSIMO DOMINO à BEVERNINGK, mihi gratioſiſſimè communicata, augurari licuit. Semen Secundi generis minus.

CHRISANTHEMI AIZOOIDIS Africani tertii generis ſecunda ſpecies; ſive

CHrysanthemum Aizooides Africanum triangulari folio, flore purpureo: rariſſima, & quantùm mihi conſtat, Europæ noſtræ, minùs reliquis, nota. Antecedenti perſimilis, niſi quòd plerumq; major, & folia floris umbonem luteum circumdantia, purpurei coloris pulchrè à Naturâ picta. Tota hæc planta cum tribus antèdictis & duobus ſequentibus, præprimis folia cum capitibus, ut Aizoum ſucculenta: Sapor aqueus, nitroſi quid occultans; quod in ſiccatis, quæ planè ſalſæ, clariùs patet.

CHRISANTHEMI AIZOOIDIS Africani tertii generis ſpecies tertia; ſive

CHrysanthemum Aizooides Africanum triangulari folio, flore carneo: Secundæ ſpeciei valdè ſimilis; exceptò, quòd petala, quibus umbo floris radiatur, carnei ſint coloris.

CHRIS-

CHRISANTHEMI AIZOOIDIS Africani tertii generis, quarta ſpecies; ſive

CHrysanthemum Aizooides Africanum triangulari folio minus, flore flavo. Hæc quantùm ex *Domini Doctoris ten Rhyne* figurâ transmiſsâ conjectandum, pedalis circiter; *caulibus* procumbentibus articulatis, quos *Folia* triquetra, reliquis breviora, & longè anguſtiora exornãt. *Flores*, in caulibus & ramis ſe ſolitarios, ut in cæteris præbentes, parvi ſunt; capitulo trigono, petalis brevioribus, ac paucioribus quàm primæ ſpeciei, quorum color luteus ſeu flavus, cincto.

CHRYSANTHEMULUM ERICOIDES, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. LXXXII.

ANtè florum proventum, adeò Ericæ Coris folio ſimile, ut eruditiſſimus etiam Botanophilus, congenerem ei exiſtimaturus ſit. Parvus enim eſt *Frutex*, complurimos, graciles, lignoſos, ſubrubentes & velut quibusdam tuberculis obſitos, proferens *ramulos*: qui in ſuperiore, ubi leniter lanuginoſi, parte, *Foliolis* Ericæ Coris folio Secundæ Cluſii perſimilibus adeò confertis ſunt onuſti, ut nullum ferè lignum conſpiciatur. Summis ramulis, ſinguli, vel bini aliquando, ſæpiùs tamen numero plures, quaſi in umbellam diſpoſiti, inſident *Floſculi*, Millefolii non multò majores,

petalis multis pallidis, discum parvum radiantibus; è Capitulo, foliolis crebris sibi invicem incumbentibus compacto, prodeuntes. His marcidis, *Semen* ex fusco spadiceum, turbinatum, uvæ acinis æquale, sed multò minus, superiùs verò ubi angustius, denticulis quaternis duriusculis, veluti coronulâ (in modum Chrysanthemi bidentis ferè) donatum, succedit, in materiâ quâdam villosâ latens; unde, & propter capitula florum, quæ ab Asteris capitulis non valdè abhorrent, olim mihi Asteriscum appellatum.

ABSINTHIUM TENUIFOLIUM ODORATISSIMUM MONOMOTAPENSE.

Cap. LXXXIII.

Absinthium hoc, in Africâ annis abhinc duodecim non procul à Promontorio Bonæ Spei repertum, atq; in Europam allatum, pulcherrimum omnium est, Pontico tenuifolio incano Caspari Bauhini persimile; nisi quòd *caules* altiores proferat, quos *Folia* nonnihil majora, candidiora, concinnioribus segmentis divisa, atq; etiam ad eorum rachin lobulis elegantissimis prædita, ambiunt: dividuntur hi prætereà superiore parte in plures ramulos, *Flosculis* minoribus densioribusq; instar Absinthii tenuifolii Austriaci Clusii, onustos. Sapor insuper, ac præprimis odor, jucundior & fragrantior est, quò omnia sui generis præcellit.

LASER-

LASERPITIUM DAUCOIDES PRUTENICUM VISCOSO SEMINE.

Cap. LXXXIV.

PLantæ *umbelliferæ*, quæ à nonnullis, primùm in Umbellas semina pericarpiis inclusa, & Umbellas semina planè nuda gerentes; ac postmodùm quælibet harum in suas iterum classes disponuntur: in *sequentia novem* ab Excellentissimo Dno Morisono *Genera*, pulchrè distributa; ut sunt,

Umbella pilifera.
Umbella striato semine
Umbella semine alis foliaceis cincto
Umbella semine alâ foliaceâ cincto
Umbella semine villoso seu hispido
Umbella semine echinato, seu aculeato
Umbella semine foliaceo subrotundo
} *donata.*
Umbella rostrata.
Umbella rotunda, seu testiculata.

Ad quorum *tertium*, sequens etiam spectat *Laserpitium*, ericetis & fruticosis nonnullis Borusiæ collibus & Cassubiæ gaudens, præsertim dumetis occidentem versùs, amœnissimi & prædiorum prædivitis Cassubiæ pagi Zoppot/ ubi Julio Mense floribus, Augusto verò ac Septembri floribus & seminibus onustum, observavi.

Hujus *Radix* Dauci vulgaris Clusii similis, sapore amaro cum quâdam dulcedine, in fibras autem crassiores magis brachiata, hocq; aliquando

ab

ab ipso statim capite; unde *Folia* humi in orbem sparguntur dodrantalia, hirsuta, Dauci hortensis aliquatenus paria, in lacinias verò pauciores, majores, latiores & obscuriùs virentes disecta. Inter quæ altero, subinde & tertio à satione anno, *caulis* cubitalis vel altior erigitur, pennæ anserinæ crassitie, rotundus, striatus, hirsutus, medullâ albâ plenus, viridi vel ex albicante subviridi colore, dodrantalibus interstitiis distinctus geniculis, è quibus se *folia* proferunt, inferioribus similia, ast lobulis latioribus divisa: ex illorum alis præsertim superiorum singulis, singuli exoriuntur *rami*, quorum apices æquè ac caulis uncialibus, angustis, acuminatis, limbo albo cinctis dependentibus circumradiantur foliolis; horum è gremio, *Umbella* ampla, radiis subalbidis, vel aliquando amethistinis, bi-& triuncialibus constans exsilit, in alias divisa umbellulas, *flosculorum* niveorum ex foliolis quinis & totidem staminulis constructorum, compositas; sub quorum pedunculis, foliola parva qvaquaversùm instar jam dicti caulis & ramorum apicum radiata cernuntur. Flosculis pereuntibus, succedunt unicuiq;, *Semina* bina simul juncta, tenuia, oblonga, Panaci Asclepii Apuli Columnæ minora, eâ quam icon nostra accuratè exprimit magnitudine; in quorum singulis, alæ membranaceæ ac pellucidæ, ad spadiceum cum maturitate vergentes, semper quatuor, utpotè convexâ parte seu dorso duæ, & totidem in marginibus, observantur: hæc relicto stylo nutritivo facilè disiliunt, & ad conservationem sui generis tandem decidunt. Cæterùm, *semen* nostri Laserpitii, viscosâ

qua-

quâdam materiâ odoratâ manus quasi inficiente, dum viret, obsitum, contritumq; gratissimum ex Citro, Benzoino & semine Dauci mixtum aromaticum, cerebrum admodùm recreantem odorem spirat; â quo Sapor oris halitum commendans, multùm recedere non videtur, quanquam magis volatilis, languidior & linguæ, amarore suo, paulò ingratior. De Laserpitio hoc, quædam mihi etiam Plantæ, folia latiora & minùs hirsuta habentes, ex Cassubiæ non procul der Kohl-Bude Rhodano flumini adjacentibus montibus, translatæ sunt; cujus varietatis caussa, rationi fortè loci adscribenda.

SALVIA MINOR ÆTHIOPICA, FOLIIS CHAMÆLÆAGNI ASPERIS.

Cap. LXXXV.

SAlviæ duo reperiuntur *genera* juxtà Promontorium Bonæ Spei. *Primum*, sive *Salvia arborescens major, foliis Verbasci*, ultrà duorum hominum altitudinem excrescens, & sui prodiga sæpissimè magna fruticeta efficiens, â Jacobo Bontio, nomine *Salviæ Indicæ arborescentis* jam descripta est.

Alterum verò, cujus historiam describere hîc constitui: *Frutex* tantùm est parvus, *caule* quadrato, lignoso, aspero, quandoq; spadiceo, seu purpurei obsoleti coloris; ex quorum geniculis alæ utrinq; cruciatim alterno versu oppositæ bi-

næ panduntur, itidem quadratæ, & ramis aliis decussatæ; *Foliis* Chamæleagni Dodonæi minoribus, asperioribus & rugosioribus magisque venosis, per genicula binis, cauli & ramis hærentibus. *Flores* in caulis & ramorum summitatibus, in spicam ramosam sunt dispositi, eâdem figurâ ac colore, quâ Salviæ nostratis, ex paribus etiam calyculis, at hispidioribus, aliquandò pulchrè violaceis, prodeuntes. Odor totius hujus Plantæ gravis ad Hormini vergens. Sapor aromaticus.

SALVIA SYRIACA, CISTI FOEMINÆ foliis, acetabulis Moluccæ.

DAtur etiam Salviæ admodùm raræ genus in Syriâ, Europæ nostræ adhuc incognitum. *Hoc*, Salviæ minoris auriculatæ instar densè fruticat, multis ramis brachiatum, ex quorum geniculis adversa oriuntur *Folia* bina, Salviæ vulgaris multò minora, circinata, Cisti fœminæ foliis paria. *Flores* verticillatim circa summos ramulos nascuntur, è calyculis sive acetabulis Moluccæ pergrandibus, purpurascentibus prodeuntes, galericulati, ac violacei coloris. *Semen* nigrum.

Salviæ hujus rarissimæ etiam mentionem fecit *Rauwolfius*, in suo Hodæporico, parte primâ, capite IX, paginâ 119.

LEO-

LEONURUS CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. LXXXVI.

PLantarum hoc insigne verticillatarum decus, quod diligentiâ incomparabili BEVERNINGIANA Anno M. DC. LXIII. primùm Europæ innotuit; mediam cum Lamio, Sideritide & Marrubio affinitatem obtinet, atq; ob florum similitudinem, Lamium à quibusdam, non sinè ratione judicatur: abjecta sanè vilisq;, quà nomen, planta; verùm si raritatem ac elegantiam ejus incomparabilem consideres, certè est una plantarum pulcherrima, quam communis omnium Parēs Terra, è gremio suo progeneravit.

Habet autem illa cubitalem *caulem*, striatum, quadratum, sed obtusis angulis, brevi ac incanâ lanugine obductum; binis anguſtis atq; incanis *Foliis*, per ambitum serratis, alternatim per longa intervalla hærentibus, ut in Sideritide vulgari, sed longioribus: ex quorum sinibus, ramuli similiter quadranguli, minoribus foliis amicti pronascuntur, atq; hoc ab imo caulis ad summos fermè geniculos; quos verticillatim ambiunt innumeri, teneres, striati, in aculeolos aliquot exeuntes *utriculi*, pedunculis parvis juxta basin appendiculas more Marrubii falcatas habentibus, insidentes; è quibus *Flores* exeunt galericulati, fistulosi, Lamii floribus formâ non absimiles, sed multò longiores, incomparabilisq; elegantiæ, ex aureo phœnicei ardentissimi co-

loris, ac molli lanugine hirsuti, labro demisso parvo & trifido, galeâ longissimâ, pilis holosericeis ex phœniceo pulchrè splendentibus fimbriatâ; quæ priùs, quàm è calyce erumpit, Lamii instar reflexa, mox verò non sinè ingenti Plantæ hujus ornamento, animosi instar Leonis invictissimè triumphantis caudæ, in sublime erigitur; sub quâ stamina quædam longissima, apicibus parvis capitulata, delitescunt. Elapso florum tempore, *semina* quatuor in quolibet utriculo succedunt, quorum colorem & formam non observavi. Sapor hujus plantæ amarus, Odor aromaticus, attamen gravis, infimâ præprimis calyculorum parte, qui etiam duodecimo post collectionem anno contriti, eundem penè quem Marum Matthioli odorem produnt. Vere in omnibus fermè pascuis juxta Promontorium Bonæ Spei floret.

Inter plantas illas depictas, quarum munere Anno M. DC. LXXV. *Excellentissimo Dno. ten Rhyne* me condecorare placuit, hæc etiam eminebat elegantissima: quâ occasione *laudatus Dn. ten Rhyne* simul exposuit, ejusdem plantæ flores alimentum præbere aviculæ omnium elegantissimæ *Ourißia* Clusii dictæ, quam cum magnâ exsiccatarum plantarum copiâ in Promontorio B. Spei relictam, Patrueli meo *Dno Johanni Brayne* Amstelodamum, perq; eundem prætereà mihi transmittendam curavit. Verùm, in hunc usq; diem, nec de aviculâ, nec de plantis (quod maximè dolet) quicquam percipere potuimus.

RAPUN-

RAPUNTIUM ÆTHIOPICUM, VIOLACEO GALEATO FLORE, FOLIIS PINASTRI.

Cap. LXXXVII.

DE *Rapuntio galeatis floribus*, genera quædam Africano in Promontorio Bonæ Spei nascentia, à nemine adhuc descripta, ac rei Herbariæ deditis procul dubiò haud ingrata, hîc in scenam proferre volui. Quorum primum, ex radice lignosâ, *Virgulas* dodrantales profert, interdum etiam ampliores, lignosas, tenues, non valdè ramosas, *Foliis* uncialibus, angustissimis, rigidis, triquetris, Pinastri æmulantibus, Chamæpeuces Alpini in modum circumquaq; densè stipatas. *Flores* in virgularum & ramulorum summitatibus, ac aliquando etiam lateribus, pediculis longis innixi, haud multùm à Rapuntii Americani coccinei, sive Floris Cardinalis, differunt, coloris autem violacei, Ajugæ non multò majores; labello antè in lacinias quinq; divisо, in fundo verò integro seu fistulosо, constantes: è cujus centro cuculli loco, *stylus* prominet longus, cujus extremitati crassum, oblongum, subalbidum, anteriùs pilosum caput, Rapuntiorum aliorum galeatorum ritu insidet. *Semen* & *Fructum* non vidi, præter immaturum, qui, quantùm colligere poteram, cum Rapuntio maximo coccineo spicato flore, à *Columnâ*, *in Rerum Medicarum Novæ Hispaniæ Nardi Antonii Recchi Annotationibus*, *pag.* 879. descripto, congruebat.

RAPUNTIUM ÆTHIOPICUM, COERULEO GALEATO FLORE, FOLIIS CORONOPI.

Cap. LXXXVIII.

PErelegans & humilis est *Planta*, plurimis viridibus, hirsutis & teretibus prædita *ramulis*; per quos *Folia*, nullo certo, sed confuso utplurimùm ordine posita cernuntur, pollicaria, angusta, hirsuta, in lacinias aliquot laterales, instar Coronopi, vel potiùs Leucanthemi alpini Clusii, divisa. Ramuli in *pediculos* abeunt graciles, nudos, læves, uncias quatuor vel quinque longos; quorum apices sæpissimè rursus in duos pedicellos unciales dividuntur: in quibus singulis *Flos* altero tanto, immò & triplò major, Cyani sive Lazuli cœleste decus æmulans, & longâ in medio maculâ albâ notatus; qui anteriùs in fissuras breviores latioresque divisus, & ex calyculo quinquefoliato hirsuto, originem suam primæ in modum speciei, petit. Hoc cum antecedente Anno M. DC. LXIII. primùm in Europam ILLUSTRISSIMO DOMINO HIERONYMO à BEVERNINGK, ex Promontorio Bonæ Spei siccum transmissum.

RA-

RAPUNTIUM ÆTHIOPICUM, COERULEO GALEATO FLORE, FOLIOLIS DENTATIS.

Cap. LXXXIX.

TEnues & humi diffusos habet Rapuntii galeati tertium genus *cauliculos*, frequentes, sesquipedales, interdum ampliores, *Foliis* parvis, crassiusculis, per circumferentiam crenatis, alternatim positis & versùs unam partem frequenter se torquentibus, amictos. *Flores* in extremis ramulis juxta longitudinem inter folia spicatim quadantenus exeunt, figurâ & magnitudine primi generis, coloris autem dilutè cœrulei.

Hoc cum duobus præcedentibus, ad tricapsulares galeati flores gerentes pertinens, ex defectu consortium & ejusdem farinæ, ut sunt Trachelia & Campanula &c., hìc post galeatas verticillatas, ob florum similitudinem locare volui. Cui hæc dispositio non arridet, Saxifragæ angustifoliæ autumnali ea in hoc Opusculo subjungat.

RAPUNTIO AFFINIS LINI FACIE, CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XC.

NAscitur *hæc* prorsus nova ac venusta Planta, quam primùm ab ILLUSTRISSIMO DOMI-

DOMINO à BEVERNINGK, posteà à *D. Huyberto & D. Slado* accepi, in locis herbosis Promontorii Bonæ Spei, Lini sylvestris magnitudine & facie; sed magis lignosa, numerosioribusq; ramulis quos *Folia* bina è regione ambiunt, lætâ viriditate picta & Lini effigie. *Flores*, caulium & ramulorum cymis, ex albo suaviter rubentes, seu humani vultûs formosam temperiem bellè repræsentantes, innascuntur, eodem ordine & figurâ, quâ Lini sylvestris, ex quinis itidem foliolis conflati: non aliter acsi voluptate quâdam minùs curiosè contemplantium oculis fucum facere, ut verum Lini genus credantur, gestirent. Aft oblongus subrotundusque, qui flori subest *fructus*, plantam hanc Rapuntio altero leptophyllo capitato Columnæ magis affinem declarat; quamvis calyculus ipsi subsideat parvus, contra morem Rapuntii.

EQVISETUM JUNCEUM NIGRINODUM CAPITIS BONÆ SPEI.

Cap. XCI.

ANNO M. DC. LXIV. perraræ cujusdam plantæ *Ramo*, circa Promontorium Bonæ Spei luxuriantis ILLUSTRISSIMO MÆCENATI me donare collibitum est. *Is* intrà binas spithamas subsistit, *Caule* constans calami frumentacei crassitudine, nodoso, lævi, tereti, in alterâ tamen parte plano, non adeò, ut Equiseti vul-

ti vulgaris flexili ac molli, sed magis lignoso Arũdinis instar, intrinsecùs niveo ac concavo, extrinsecùs ex obsoleto virore castanei coloris, & quasi punctulis atris infecto. Genicula foliorũ vice, *involucris* nigris, striatisq́; in acutũ desinentibus circumvoluta sunt: ex quibus *rami* graciles, lentes, ac obsequiosi, geniculis creberrimis distincti, contrario situ prorũpunt; qui rursus ab imo successivè in frequentia divaricantur vimina, hæcq́; iterum in alia minora, ramosa, tandemq́; in parvas furculas, pari, cum caulis, ramorum & viminum colore, terminantia. Totus ille Ramus caudam non malè equinam repræsentat; unde hanc plantam, Hippuri quoq́; non disparem, *Equisetum* appellare tàm diu placuit, donec indulgente aliquando Fortunâ, Florum, Fructuum ac Seminis ope certiora edoctus, cui Plantarum classi inferenda sit, intelligam.

An *Arundinis gramineæ aculeatæ Alpini* genus?

Oritur hæc Planta, ut diximus, in Bonæ Spei abundantissimo Plantarum rarissimarum saluberrimarumque Promontorio. Ubi inter alias inauditas, etiam *Arbor quædam rarissima lucens, fructibus Halicacabi;*

Arbor fabaria,
Arbor glandularia,
Amygdalus Africana amara,
Genista cærulea, flore cæruleo,
Erica spicata, floribus oblongis ex carneo purpureis,
Lilium coccineum coronatum Montis Tabulari,
Narcissus sphæricus, floscul is parvis obsoletis,
Ornithogalum tuberosum spicatum, luteum, odoratum,
Monorchis caule, foliis & floribus ex rubro punctatis,

Jacobæa Montis Tabulari,
Quinquefolium anguſtifolium bulboſum,
Trifolium bulboſum,
Planta Cyclaminis radice, folio Dentis Canini,
Planta Aſari folio,
Planta Pyrolæ foliis, & Acetoſa Africana, radice tuberoſâ, reperiuntur: Quæ ab *Excellentiſſimo Dn. Hermans, Inveſtigatore Naturæ ſagaciſſimo,* Anno M. DC. LXXII. in loco prædicto detectæ, atque inde cum aliis Plantis, radicibus, fructibus, ſeminibus, & variis inſectis nondum deſcriptis ILLUSTRISSIMO DOMINO DNO à BEVERNINGK & *Excellentiſſimo Dno Arnoldo Sye* transmiſſæ: ſed penè omnes, cum ingenti rerum Botanicarum ex Indiâ copiâ, quibus me earum Cultor ſtudioſiſſimus ex eodem loco donare conſtituerat, apud *Inſulam S. Helenæ* ab Anglis, naves Batavorum ex Indiâ Orientali redeuntes, intercipientibus, non ſinè magno ſtudiorum meorum incommodo, ereptæ.

Cæterum etiam ab *Excellentiſſimo Dno ten Rhyne* (cujus in obſervandis naturaliũ induſtria, magna Poſteritati pollicetur) A. M. DC. LXXIII. plantæ complures novæ, partim in Promontorio Bonæ ſpei, partim in *Saldanha* ſinu, obſervatæ ſunt; quas in amicitiæ mecum cultæ ſignum reſiccavit, & cùm calamo, tùm vivis coloribus, affabrè delineavit. De quibus tamen figuræ, & quidem plantarum tantùm ſequentium ad me pervenêre: ut ſunt: *Aizoon cruciatum Sinûs Saldanhaci, quod Eſulam Indicam vocat Bontius, Dni ten Rhyne.*

Aloë de Agoa de Saldanha, Dn. ten Rh.

Arbor roſea flore flavo, Capitis B. S. Dn. ten Rh.

Arbor

Arbor roſea folio infernè incano, Dn. ten Rh.
Aſter gnaphaloides flore albo, Capitis Bonæ Spei.
Chryſocome anguſtifolia Africana.
Erica aculeata foliorum lanugine cinerea, Dn. ten Rh.
Erica arboreſcens, capitulis lanuginoſis, flore flavo, D. ten Rhyne. An Chenopoda Monomotapenſis?

Erica erecta minor flore purpureo ſpicato,
Erica florulentis capitulis alba noduligera,
Erica noduligera capitulis hirtis ex purpureo fuſci coloris,
Suffrutex Ericæ formis, flore elegantiſſimè rubro,
Geranium flore intensè rubicundo, Cap. Bonæ Spei,
Geranium Malvæ folio, flore purpureo,
Geranium noctu olens, radice tuberosâ, longâ, flore violaceo,
Ornithogalum anguſtifolium Promontorii Bonæ Spei,
Pimpinella Africana maxima, flore purpureo,
} Domini ten Rhyne.

Planta bulboſa, Umbilici Veneris facie,
Planta Petaſitidis folio, Capitis Bonæ Spei, D. ten Rh.
Ptarmicæ ſimilis planta anguſtiſſimis foliis, Capitis Bonæ Spei.
Sedum maximum arboreſcens, latifolium, flore flavo, Capitis Bonæ Spei, Dn. ten Rhyne,
Solanum ſpinoſum arboreſcens, Capitis Bonæ Spei,
Tithymalus dendroides aphyllos Capitis Bonæ Spei, Dn. ten Rhyne. An Xabra & Camarronus Rhaſis, Rauwolfii?

Præter has Africæ Plantas, Anno M. DC. LXXVI. *Excellentiſſimus Dominus Arnoldus Syen* (cujus incomparabilis, quam perſcrutandis impendit Plantis exoticis diligentia, Botanico ſtudio, facem lucidiſſimam promittit) complures adhuc rariſſimas ex Promontorio Bonæ Spei nactus eſt;

de quibus sequentia tantùm nomina à *Nobilissimo D. Possessore* nobis communicata, commemorabimus: *Barba Jovis Africana.*

Cyanus arborescens Styracis folio Africanus.

Cynosorchis flore luteo albicante.

Gladiolus flore luteo.

Gladiolus edulis flore vario.

Gladiolus radice eduli flore cœruleo.

Gladiolus flore tristi; hic apud me in horto Academico floruit, sed nihil cum gladiolo habebat commune, vocavi Florem Tigridis Africanum, à floris formâ & colore.

Gladiolus caudatus.

Gladiolus montanus.

Halicacabum arborescens. An Arbor lucens, fructibus Halicacabi, D. Hermanns?

Hyacinthus Indicus tuberosus, flore luteo.

Iris juncea, flore cœruleo.

Orchis flore rubro.

Orchis maximus, flore luteo.

Phalangium Africanum perfoliatum.

Sedum flore rubro pendulo.

Sedum montanum flore odorato.

Senecio fœtida Afr: perennis, foliis confertim nascẽtibus.

Tithymalus Africanus, platyphyllus.

SELAGO INDIÆ ORIENTALIS, SIVE PLEGMARIA ADMIRABILIS ZEILANICA.

Cap. XCII.

Zeilan, vel si mavis *Ceylan*, continentis Indiæ confinis Insula, unde ingenti terræ motu, quo-

quorundam opinione abrupta, multis verò Viris doctisſimis *Taprobana* Antiquorum, immò ab aliis nimis remotè abeuntibus, & ab ipſis etiam Indigenis, Paradiſi locus credita; præter Cinnamomum, quod profert, præſtantisſimum, non vulgarem gloriam etiam â maximâ medicinalium, rariorumque plantarum copiâ, in eàdem occurrentium, reportat. Inter quas *Plegmariæ* huic *admirabili*, Anno M. DC. LXIIX. vel IX. in Europam allatæ, non poſtremus debetur locus: quippe in quâ ſingulare miraculum, & admiratione digna diſpoſitio, immò mirandum artificium Naturæ accuratoContẽplatori obſervandum. Ea tripedalem obtinebat longitudinem, atq; *caule* olorinam fermè pennam craſſo conſtabat, rotundo, ſtriato, ex viridi flavo obsoleto, ad Olivarum conditarum colorem vergente: qui parumper ultra ſemipedem â radice, in ramos duos penè dodrantales, dividebatur; atque hi in totidem, aliquantò longiores, quorum quilibet rurſus in binos, vix triunciales tenues deſinebat. Dictus caulis, ab infimâ (cui quædam adhuc radicum fibræ adhærebant) parte, usque ad extremum apicem, *foliis* craſſiuſculis, cordis figuram inverſam exprimentibus, ſemunciam in longitudine, & quadrantem unciæ in latitudine, vix ſuperantibus, ex flavo viridi ad Olivarum colorem inclinantibus, rigidiuſculis & ſplendentibus, Tithymali paralyi ritu, veluti ſquamis denſisſimè obtectus, conſpiciebatur: In unoquoque autem ſupremorum ramorum apice, artificioſum *Plegma* ſesquipalmare, tanto ſtudio, tàm curiosè & ſcitè â Naturâ elaboratum,

tum, ut potiùs artificiale quid, quàm naturale putandum, seſe oſtentaret. Hoc, pediculo perexiguo innixum, in duas utplurimùm partes primùm dividebatur: ſingulæ verò deinde plurimis diviſis tenerrimis flexilibus claviculis(aut ramulis) in diviſione bifidum ordinem frequenter obſervantibus, & tàm accuratè tandem terminantibus, ac ſi forfice eſſent reſectæ; quæ in univerſum cruciformi ſerie, ut Cupreſſi ramuſculi, planè cõtectæ, ſquamulis(ſeu foliolis)rotundis, Sanamundæ tertiæ Cluſii foliis, ex parte reſpondentibus, ſed longè minoribus, eodem quò planta integra, ejusque folia, colore; quarum ſingularum in gremio *Granulum* orbiculare, albicans & pellucidum, Bombycis ovi magnitudine & facie latebat, ſuperiore medietate ex ſquamulâ ſæpiùs emicans, intus inane, ex denegatâ forſan maturitate: cuncta enim hæc Granula, Selaginis primæ, ſecundæ & tertiæ (*quæ officinis noſtris* **Morzybaba** *appellatur, nec* **Maſchlaber** *ut in Miſcellaneis Curioſis Anni tertii & quarti errore Typographico expreſſa*) Thalii inſtar pulviſculum ſulphureum ferre autumo. Hanc ob cauſam, & quòd Plegma etiam, non minimam cum Selaginis clavis habere affinitatem videatur, *Selaginem Indiæ Orientalis*, hanc plantam nominavi.

SELAGO INDIÆ ORIENTALIS, trigonis granulis.

IN deſcribendâ *Plegmariæ hujus admirabilis* hiſtoriâ occupatum, *Illuſtriſſimus Dominus* â BEVERNINGK, *aliam* ſibi ex Zeilan Inſulâ *ſpeciem*, non orbicularibus, ſed *trigonis granulis*, eſſe miſſam, literis

teris me certiorem fecit. En evidentissimum singularis, curiosæq; diligentiæ & accuratissimæ observationis exemplum in ILLUSTRISSIMO hoc VIRO, MÆCENATE NOSTRO GRATIOSISSIMO! à quo, *priorem* etiam *Selaginem Indiæ Orientalis granulis orbicularibus*, ex eâdem Insulâ *Zeilan* (quo in loco è vetustæ cujusdam *Jacæ* arboris caudice enata) ad eum destinatam, impetravi, ad historiam hanc atq; iconem conficiendam.

An species *Quamjavatl*, Nardi Antonii Recchi, Rerum Medicarum Novæ Hispaniæ, libro VI. capite LXI, paginâ 258: aut Genus *Tlamacozqui y papan*, vel *Coapatli*? quæ planta inter Imagines Plantarum, ejusdem Auctoris, paginâ 414. per Joannem Terrentium Lynceum succinctè delineatur.

LUNARIA RACEMOSA MINOR, ADIANTI FOLIO.

Cap. XCIII.

DE Lunariâ racemosâ, propter famam Lunariæ Alchymistarum, maximè expetitâ, species variæ in Borussiâ nostrâ & Cassubiâ occurrunt: inter alias hæc etiam rarissima, necdum descripta, vulgari foliis laciniatis (cujus effigies apud Camerarium in Matthiolo Germanicè edito, sub numero II. exstat) per omnia similis;

milis; præter folia, quæ *Capilli Veneris* ſive *Adianti foliis Coriandri* in modum eleganter ſunt diſſecta.

Naſcitur in montibus Caſſubiæ, ſed admodùm rara; ita ut duæ duntaxat mihi, & Amico meo dilectiſſimo *Domino Carolo Sweikero* una indè obvenerint.

LUNARIA RACEMOSA MINOR, MATRICARIÆ FOLIO.

Cap. XCIV.

MOntium Caſſubiæ etiam eſt incola, unde â rhizotomâ mulierculâ Anno M. DC. LXX. & LXXVI. Julio Menſe ſatis copiosè *Nobiliſſimo D. Sweikero* mihiq; allata. Quarum omnium cauliculi magis curti quàm vulgaris, racemis brevioribus magisq; ramoſis, ac foliis brevioribus, plures in lacinias anguſtiores diſſectis, Matricariæ haud imparibus, onuſti erant.

An *Lunaria minor rutaceo folio, Caſpari Bauhini in Pinace?*

LUNARIA RACEMOSA MULTIFIDO FOLIO, CASPARI BAUHINI.

Cap. XCV.

NE fortè Lunariæ antecedentes, *Lunaria racemoſa multifido folio Caſpari Bauhini* (quæ â *Cluſio* in

in Rariarum Plantarum Hiſtoriâ lib. V, cap. XXI, pag. CXIX, nomine Lunariæ minoris ramoſæ, additâ radicum & foliorum ſinè racemis figurâ; à *Johanne Bauhino* verò in Univerſali Plantarum Hiſtoriâ, Tomo III, libro XXXV, cap. XIX, pag. 711, ſub nomine Lunariæ botryitis ramoſæ Sileſiacæ, adjectâ folii & racemi icone, absq; radicibus, concinnè deſcriptâ) exiſtimentur: figuram hîc ſolùm, Lunariæ hujus integræ cum radice, foliis & racemo, ſiſto; illud tantùm adjungens, quòd racemorum granula, æquè ac Lunariæ vulgaris & omnium congenerum, antè maturitatem, materiâ humidâ & ſubluteâ prægnent, ac tempore maturitatis eô fœtu, in palleſcente pulvere exſiccato, ſe exonerent.

Apud nos, in locis quibusdam arenoſis, Menſe Auguſto & Septembri, ſuis granulis onuſta, reperitur.

FILIX SCANDENS PERPULCHRA BRASILIANA.

Cap. XCVI.

PAlmam ſanè inter Filices jure meritoq; obtinet Braſiliana *hæc* elegantiſſima, quæ vicinis fruticibus aliisq; rebus advolvitur, & ab imis ad ſumma repit, ſarmentorum ope rigidiuſculorum, ſplendentium, è viridi ſpadiceorum; ex quibus per intervalla palmaria longiorave noduli, contrariis ſemper inter ſe breviſſimis naſcentes pediculis (qui in figurâ non expreſſi) pro-

generantur hirsuti; quorum singuli utrinq; *costam* ejusdem quo sarmenti coloris, proferunt, hirsutam, palmarem & sesquipalmarem, *foliolis* viridantibus elegantissimis alterno positu alatam, tandemque in longiùs desinentem. Quodlibet verò foliolorum, aliquomodò *Convolvuli folio Althææ* foliis conveniens, parvo hirsutoq; pediculo innititur, in tres plerumq; divisum lacinias: utpote in duas breviores obtusas, denticulis quatuor, quinque vel sex longis radiatas, unamq; longam nonnunquam sescuncialem (è medio brevium exorientem) denticulis utrinq; instar Pristis rostri ab imo ultra medium, atq; inde usq; ad extremum cacumen crenis subtilissimis præditam. Denticulæ dictæ omnes angustæ sunt, Coryli nucamentorum figurâ, in superiore latere squamulis crispulis, arctissimè atque curiosè vestitæ, subtilissimis ferruginei coloris; inter quas *Granula* orbicularia, Selaginis primæ Thalii magnitudine & facie occultantur.

An *Filicis secunda species, Georg. Marcg. in Hist. Plant. libro I, Cap. II, paginâ* 2? ubi ejus verba ita „sonant. *Planta* caule lento, sarmentoso, ruf„fescente, serpit atque fruticibus aliisque plan„tis se circumvolvit: *folia* ad caulem alternatim „sunt posita elegantissimè disecta, referentia „dentatas illas texturas, quas fœminæ solent con„ficere. Nec florem fert, nec semen. Copio„sè nascitur, propè fluvium *Capibaribi*. Nasci„tur & *alia species*, haud multùm dissimilis, in „Insulâ *Tamaracâ*. Hucusque Marcgravius. Et certè Plantas inter resiccatas nostras Brasilianas,

Filicis

Filicis ſpecies ſcandentis etiam *alia* occurrit, magis ramoſa, foliolis minoribus, minusq; pulchris.

Præter hasce memoratas, adhuc complures alias habemus *exoticas Filicis ſpecies rariſſimas*, quas cùm ex Americâ, tùm ex aliis Orbis partibus impetravimus; de quibus hâc vice decem ſolùm in medium proferemus.

PRIMA SPECIES
ſive

Filix non ramoſa Braſiliana pinnulis criſtatis: ad ſesquicubitalem excreſcit altitudinem, Filicis maris noſtratis facie; atris verò *caulibus*, quadratis & inſignè ſplendentibus; *pinnulis* obtuſis, ſuperiore tantùm margine inciſis, Adianti Americani Cornuti colore, formâ & toto habitu æqualibus.

SECUNDA SPECIES
ſive

Filix non ramoſa Braſiliana, foliis Aſplenii acutioribus: Hæc, *Filici fontis admirabilis, ad marem vulgarem non ramoſam accedenti, non dentatæ* (cujus figura, pro *Filicis tenuiſſimè & profundè denticulatæ Montbelgardicæ*, errore Typographico poſita) *Johannis Bauhini*, perſimilis eſt; major tamen, tarſisque arctiùs pennata.

TERTIA SPECIES
ſive

Filix non ramoſa Guyanenſis, foliis Aſplenii obtuſioribus: obſervatur magis hirſuta quàm antecedens, atque obſcuriùs virens, pinnulis obtuſioribus, punctula rariora habentibus.

QUARTA SPECIES
sive

Filix non ramosa Zeilanica foliis integris, Filici vulgari similis: à Filice mare vulgari eô tantùm differt, quòd alarum cristæ aliæ aliis annatæ.

QUINTA SPECIES
sive

Filix non ramosa foliis integris serratis Zeilanica: Cum Hemionitide alterâ Dalechampii adeò convenit, ut ab eâdem non nisi in foliis, quæ majora & argutiùs crenata, discernenda.

SEXTA SPECIES
sive

Filix non ramosa foliis integris serratis Brasiliana: Hujus descriptio exstat apud Marcgravium, in Historiâ Plantarum, libro 1, capite 2, paginâ 2, sub nomine, *Filix an Polypodium?*

SEPTIMA SPECIES
sive

Filix non ramosa, foliis integris serratis Capitis Bonæ Spei: mediam, inter *Filicis non ramosæ foliis integris serratis Zeilanicæ & Brasilianæ*, faciem obtinet.

OCTAVA SPECIES
sive

Filix non ramosa, foliis integris non serratis Zeilanica minor: de hâc *caulem* accepimus pedalem, quintæ similem, *foliis* verò multò crassioribus atque

atque solidioribus, magis venosis & in mucronem obtusam exeuntibus; in quibus crenæ nullæ conspiciuntur.

NONA SPECIES
sive

Filix non ramosa, foliis integris non serratis maxima, Indiæ Orientalis: omnium est maxima, ut quæ Viri subinde altitudinem superat; hæc à Bontio, sub nomine *Phyllitidis* figuratur.

DECIMA SPECIES
sive

Filix Zeilanica Lonchitidis facie: sesquipedales interdum surrigit caules, in quibus folia falcata, *Lonchitidis asperæ majoris Matthioli*, sed majora multò atque latiora.

ADIANTUM NOVUM GERMANICUM, RUTÆ MURARIÆ FACIE.

Cap. XCVII.

SPecioſum hoc ac prorsùs novum Adianti genus, in Franconiâ non procul à pago illo ob Acidulas celeberrimo **Langen-Schwalbach** in umbroso inter saxa loco enatum, Anno M. DC. LXIV. Mense Septembri, quamvis rarissimè, observavimus.

Hoc, è *Radice* ex plurimis cirris nigris capillatâ, *coliculos* triginta vel plures spargit, dodran-

tales, tenues, juxta radicem nigricantes, reliquâ verò parte virentes, & in tertiâ ſuperiùs parte *Foliolis* anguſtioribus, hilariore virore præditis, inque lacinias longiores, anguſtiores, quàm Rutæ murariæ diſſectis, ornatos. Convenit in multis, cum Adianto albo tenuifolio Rutæ murariæ accedente Johannis Bauhini, â quo tamen manifeſtè differt.

ADIANTUM NIGRUM AMERICANUM, pulvere candidiſſimo aſperſum.

ADianto nigro vulgari non adeò diſſimile, exceptis foliis mollioribus, quorum pars prona, pulvere candidiſſimo, quaſi farinâ aſperſa eſt. Ex Braſiliâ & Guyanâ accepimus.

POLYPODIUM INDICUM SCOLOPENDRIÆ FACIE.

Cap. XCIIX.

DE Polypodio Scolopendriæ facie, quatuor ſequentes ex Indiâ Orientali ſpecies nactus ſum.

POLYPODIUM INDICUM SCOLOPENDRIÆ FACIE PRIMUM.

RAdicem agit ſubdulcem, verrucoſam, longè latèque ſub terrâ repentem, inſtar Polypodii vulgaris; ex quâ *Folia* multa, pediculis fermè nullis aut ſaltem breviſſimis inſidentia, exſurgunt, viridia, acuminata, pedalia & duplò longiora, pollices tres lata, Phyllitidis conſiſten-

sistentiâ & figurâ, inferiùs autem fastigiata, quorum longitudinem nervus crassus, aversâ parte conspicuus ac elatus percurrit; â quo ab imo statim ad ambitum quaquaversùm ipsæ etiam apophyses diriguntur. *Flores*, Polypodii de more, punctulis lanuginosis, sed nigris constantes, in pronâ foliorum parte proveniunt.

POLYPODIUM INDICUM SCOLOPENDRIÆ facie secundum.

Radice nititur longiore, tenuiore, ac magis albicante, minutioribus etiam tuberculis & acetabulis præditâ: ex quâ, *Folia* pedalia longiorave, pediculis longis splendentibus suffulta pronascuntur Phyllitidis facie, in mucronem autem longissimum, subinde convexum desinentia, & juxta basin fastigiata. Horum nonnulla ad Hemionitidis propiùs accedunt, atque in lacinias tres divisa sunt.

POLYPODII INDICI SCOLOPENDRIÆ facie secundi, species altera.

ALiam adhuc Secundi speciem asservo, *Foliis* in tres quoque lacinias divisis; cujus lacinia media seu maxima, in ambitu flammæ in modum laxè serrata vel potiùs undulata est: an autem species diversa, vel idem Polypodium Indicum Scolopendriæ facie sit secundum, affirmare non audeo.

POLYPODIUM INDICUM SCOLOPENDRIÆ facie tertium.

TErtii *Radix*, nihil â Secundi differt, nisi quòd longior paulò, validior & saturatiore viri-

viriditate colorata. *Folia* pediculis brevioribus ſuffulciuntur, & non multò longiora, quàm ſesquipalmaria ſunt, duas circiter aut tres uncias lata, ſubſtantiâ & formâ quidem Phyllitidis, ſed duriora, ſolidiora & retuſa, Limonii Matthioli formam penè æmulantia. In hujus ut & Secundi foliis reſiccatis, quæ in Herbario aſervamus noſtro, ſi Sole adverſo perſpiciantur, punctula innumera juxta extremam fibrarum criſpitudinem apparent; quæ, flores imperfectos, in utero antè partum ſuffocatos, arguere videntur.

SCOLOPENDRIA INDIÆ ORIENTALIS MUSÆ FACIE.

Cap. XCIX.

SUnt Scolopendriæ ſpecies variæ, quibus Hemionitis etiam accenſenda, in hortis Galliæ & Italiæ jam ſatis notæ: quarum plerarumq; varietatis causâ vel Naturæ tantùm luſui, vel ætati, vel arti, adſcribenda. De quibus hâc vice plura non dicam; cùm ſolummodò de exotico ac peculiari quodam genere valdè raro, ab aliis neutiquam obſervato, paucis in præſentiarum agere non negligendum duxerim.

Conſtat verò hoc *genus*, (quod ab *Excellentiſſimo Dno Andreâ Kleyer, Medicinæ Doctore & Scabino meritiſſimo, in Bataviâ, Urbe Indiæ Orientalis Celeberrimâ*, Anno M. DC. LXX. nomine *Scolopendriæ Indiæ*, ſiccum accepi) ex *Radice* fibrosâ, obſcu-

obſcurè cinereâ ſeu fuſcâ, & ex foliorum jam conſumptorum venis & nervis, qui materiam ferrugineam, levem, ſpongioſam, fibrarum putrefactarum, tantâ copiâ eâque figurâ offerunt, ut eos ante accuratiorem contemplationem, radices muſcoſas & lanuginoſas exiſtimarem. Ex venarum & nervorum horum reliquorum medio, multa in orbem ordinata, Muſæ junioris non disſimilia, pediculis fermè carentia prodierunt *folia*, tantâ longitudine, quantam ferè cubitus, & latitudine, quantam palma, immò & ſesquipalma implere ſolet; Subſtantiâ Scolopendriæ, tenuia & membranacea; colore ex ſubalbido viridantia & ad Olivarum conditarum vergentia: horum quodlibet medium, nervus præter morem crasſus & validus, ex purpuraſcente cinerei coloris, disſecat; à quo rurſus utrinque innumerabiles, denſæ & ſubtiles venæ, linearum inſtar, in lateribus folii nonnihil ſurſùm tendentes, in teneram usque, quâ cincta, fimbriam, ſparguntur. In centro verò foliorum juxta radicem, hirſuties quædam rigida, atra & ſplendida, velut lana aduſta, in globum Juglandis magnitudine conglomerata, occultatur. An verò foliorum pars ſupina, Scolopendriæ in modum vulgaris, pulverulentis areolis rufis virgata ſit, hactenus, nec quidquam de naturâ & viribus percipere potui.

PLANTA MUSCOSA ET PLUMOSA GUYANENSIS MAJOR.

Cap. C.

ANno â Christi Nativitate M. DC. LXI, Domini Antonii Chastelein p. m. curâ, Ramulum Plantæ cujusdam elegantis, ex Guyanâ accepi, palmarem ac penitùs planum. Is, cauliculo squamulis densis, Musci terrestris Lusitanici in modum contecto, constat subtili, aliquot utrinque adnatis ramulis expanso, atq; multis foliolis tenerrimis pectinatim dispositis denso agmine ita stipato, ut Abietis ramulum haud malè repræsentare videatur: Adeò autem lentus, & ad proportionem ita est gravis, ut sublatus, statim instar plumæ struthionis deorsùm flectatur; viriditate insuper venustissimâ, aureo cuidam intermixtâ fulgori, aversâ inprimis foliorum parte, in singulare hujus plantæ ornamentum decoratur, velut sempiternam famæ illius memoriam, quâ ob auri ubertatem celebrata olim fuit ejus patria, conservare, Natura artificiosissima constituisset.

An Musci denticulati majoris, Caspari Bauhini genus?

PLANTA MUSCOSA ET PLUMOSA Guyanensis minor.

ALiam adhuc lepidissimæ & concinnæ hujus Plantæ speciem, eadem ex Regione obtinui

tinui; priori multò delicatiorem, minùs arctè ſquamatis viticulis, atque foliolis longè minoribus. Quâ plantulâ gratisſimo virore ſuo immortali oculos mirum in modum paſcente, Centuriam hancce meam primam, genialiter concludo.

TIBI AUTEM O SANCTA TRINITAS, QVÆ OMNIA BENE FECISTI, ET IN OPERIBUS TUIS LÆTARIS: TIBI, QVÆ MIHI SERVO TUO OMNIUM INDIGNISSIMO, EAM CONCESSISTI GRATIAM, QVO INSTRUMENTUM ETIAM DIVULGANDORUM OPERUM ADMIRABILIUM TUORUM, IN ALTISSIMI TUI NOMINIS GLORIAM EXISTEREM: TIBI SIT LAUS, HONOR ET IMPERIUM IN SECULA SECULORUM, AMEN!

INDEX
PLANTARUM,
Quæ in hâc CENTURIA continentur.

Absinthium tenuifolium odoratissimum Monomotapense. 166

Adiantum nigrum Americanum, pulvere candidissimo aspersum. 190

Adiantum novum Germanicum, Rutæ murariæ facie. 189

Æschynomene Antiquorum. 48

Æschynomene mitis prima, vide Herba Casta Americana, foliis Acaciæ latioribus.

Æschynomene mitis secunda, vid. Herba Casta Zeylanica.

Æschynomene mitis tertia, sive Americana foliis Acaciæ angustioribus, siliquis longis angustis, Semine quadrangulari. 48

Æschynomene mitis quarta, sive Americana foliis Acaciæ brevioribus. ibidem.

Æschynomene spinosa prima, s. latifolia Brasiliana, siliquis radiatis. 31

Æschynomene spinosa secunda, s. foliis Acaciæ latioribus, siliquis longis hirsutis. 37

Æschynomene spinosa tertia, s. foliis Acaciæ angustioribus, siliquis parvis echinatis. 40

Æschynomene spinosa quarta, s. foliis Acaciæ angustioribus, frondibus validissimas spinas habentibus. 43

Æschynomene spinosa quinta, s. foliis Acaciæ latioribus, frondibus longissimos aculeos habentibus. 44

Æschynomene spinosa sexta, s. foliis Acaciæ latioribus, ex Madagascar Insulâ. 45

Alcea Candaharensis arborea, pampineis foliis, flore mutabili simplici 122, *pleno, ibid. folioſiore. ibidem.*

Alcea Javanica arborescens, flore carneo pleno. 124
flore carneo simplici. 122.

Alcea

INDEX.

Alcea Javanica arboreſcens flore, rubicundo pleno. 122
Alcea Javanica arboreſcens, flore rubicundo ſimplici. 122
Alcea veſicaria, Capitis Bonæ Spei. 122
Althæa Americana pumila, flore luteo ſpicato. 124
Amarantho affinis Braſiliana glomeratis parvisque floſculis. 111
Amarantho affinis Indiæ Orientalis, floribus glomeratis, Ocymoidis folio, flore albo. 109. *flore purpureo.* 110
Amygdalus Æthiopica, fructu holoſerico. 1
Arbor camphorifera ex Borneo Inſulâ. 16
Arbor camphorifera Japonica. 11
Arbor dormiens. 30
Arbor Kauki. 20
Arbor racemoſa Braſiliana, foliis Apocyni. 7
Arbor racemoſa Braſiliana, foliis Malabathri. 3
Arbor ſenſitiva, Domini â Rochefort. 44
Arbor ſiliquoſa Braſiliana prima, ſ. ſiliquâ hiſpidâ ferrugineâ Ceratoniæ facie. 26
Arbor ſiliquoſa Braſiliana ſecunda, ſ. ſiliqua tortuosâ putreſcente, Fraxinellæ foliis. 28
Aſtragalus Africanus, flore luteo odorato. 72
Aſtragalo Monſpeſſulano Johannis Bauhini affinis Syriaca. 74
Avellana purgatrix Monardi, vide Ricinus Americanus tenuiter diviſo folio.

B.

Bulbus liliaceus vomitorius, Capitis Bonæ Spei. 91
Bulbus oblongus Æthiopicus, foliis guttatis & cilii inſtar piloſis. 89
Buphthalmum Creticum Cotulæ facie, 150, *flore albo,* 154 *flore luteo.* 153

C.

Camphora Zeilanica ex radice Arboris Canellæ. 17

Caryophyllata montana flore pleno prolifero, folio Hederæ terrestris. 130
Caryophyllata montana tertia Clusii, flore pleno prolifero. ib.
Cassia fistula Brasiliana, flore incarnato. 58
Cassiæ & Herbæ Castæ, medius Indiæ Orientalis Frutex. 57
Centaurium majus Africanum, flore aureo odorato. 146
Centaurium minus Brasilianum. 103
Chamæcrista Pavonis Americana, siliquâ multiplici. 66
Chamæcrista Pavonis Brasiliana, siliquâ singulari. 64
Chamælarix, vide Chenopoda Monomotapensis.
Chamæmelum Æthiopicum lanuginosum. 148
Chamæmelum Lusitanicum latifolium, s. Coronopi folio. 149
Chenopoda Monomotapensis. 23
Chrysanthemulum ericoides, Capitis Bonæ Spei. 165
Chrysanthemum aizooides Africanum latifolium. 160
Chrysanthemum aizooides Africanum teretifolium. 161
Chrysanthemum aizooides Africanum triangulari folio, flore aureo. 163
Chrysanthemum aizooides Africanum triangulari folio, flore carneo. 164
Chrysanthemum aizooides Africanum triangulari folio, flore purpureo. ibid.
Chrysanthemum aizooides Africanum triangulari folio minus, flore flavo. 165
Chrysanthemum arborescens Æthiopicum, foliis Populi albæ. 155
Chrysanthemum Capitis Bonæ Spei repens flore aphyllo, D. Syen. 156
Chrysanthemum conyzoides Æthiopicum, capitulo aphyllo, foliis Majoranæ. 159
Chrysanthemum conyzoides Lusitanicum. 157
Chrysocome Æthiopica, Plantaginis folio. 143
Chrysocome Germanica, flore igneſcente. 145

Chrysocome Germanica, flore sanguineo. 145
Chrysocome peregrina major fruteſcens. ibid.
Chrysocome Syriaca, candidisſimis floribus. 146
Chrysocome Syriaca, flore atrorubente. ibid.
Colutea Æthiopica, flore purpureo. 70
Colutea humilis Syriaca, flore violaceo. 72
Coronopus ex libro Bodæi à Stapel. 80
Criſta Pavonis flore aureo. 63
Criſta Pavonis flore variegato. 61
Cupreſſo-pinulus, Capitis Bonæ Spei. 22

D.

DAon Lacat Lacat Indorum, vide Trifolio affinis Indiæ Orient. Xanthii facie.
Datura Indica foliis Malabathri. 119
Datura vera Indorum. ibid.
Dyahibala Cingalenſium, vide Mimoſa non ſpinoſa major Zeylanica.

E.

EPiſanamunda. 19
Equiſetum junceum nigrinodum, Capitis Bonæ Spei. 176
Erica Coris folio hiſpido, Cerinthoides Africana. 25
Erigeron Zeilanicum, Lampſanæ foliis. 140
Eupatorium ericoides Capitis Bonæ Spei. ibid.
Eupatorio affinis planta Zeilanica, foliis Ulmi. 142

F.

FIlix Indica, Osmundæ facie, Bodæi à Stapel. 58
Filix non ramoſa Braſiliana, foliis Aſpleni acutioribus. 187
Filix non ramoſa Braſiliana, pinnulis criſtatis. ibid.
Filix non ramoſa, foliis integris non ſerratis, maxima, Indiæ Orientalis. 189
Filix non ramoſa, foliis integris non ſerratis Zeilanica minor. 188

Filix

Filix non ramosa, foliis integris serratis, Brasiliana. 188
Filix non ramosa, foliis integris serratis, Capitis Bonæ Spei. ibid.
Filix non ramosa, foliis integris serratis Zeilanica. ibid.
Filix non ramosa Guyanensis, foliis Asspleni obtusioribus. 187
Filix non ramosa Zeilanica, foliis integris, Filici vulgari similis. 188
Filix scandens perpulchra Brasiliana. 185. *species alia.* 186.
Filix Zeilanica Lonchitidis facie. 189
Flos Clitoridis. 76
Fœnum græcum sylvestre polycration Creticum majus. 79
Fœnum græcum sylvestre polycration Hispanicum siliquis erectis. 79
Fœnum græc. sylvestre polycration minus Monspeliacũ. ib.
Frutex Æthiopicus baccifer, foliis Myrtilli majoribus. 9
Frutex Æthiopicus baccifer, foliis Myrtilli minoribus. 10
Frutex Æthiopicus conifer, foliis Cneori, Salici æmulus major, 22. *medius,* 22. *minor.* 21
Frutex cineraceus muscosus, Capitis Bonæ Spei. 24
Frutex Indicus baccifer, Vitis Idææ secundæ Clusii foliis. 8
Frutex Pavoninus, vide Crista Pavonis.

G.

Genista-spartium cœruleum Capitis Bonæ Spei. 66
Genistella spinosa Africana, Laricis folio. 68
Geranium Æthiopicum Myrrhidis folio tertium, flore magno striato. 129
Geranium noctu olens Æthiopicum, radice tuberosâ, Aquilegiæ foliis. 127
Geranium noctu olens Æthiopicum, radice tuberosâ, foliis Myrrhidis angustioribus. ibid.
Geranium noctu olens Æthiopicum, radice tuberosâ, foliis Myrrhidis latioribus. 126

Gladiolus Æthiopicus, flore coccineo, Cornuti. 88
Gladiolus Æthiopicus minor, flore violaceo. ibid.
Gladiolus Africanus, radice tuberosâ Cepæ foliis. ibid.
Grana Tilli Officinarum, vide Pinei nuclei Malucani Acostæ.

H.

Herba Casta Americana, foliolis Acaciæ latioribus, siliquis latis compressis majoribus. 46
Herba Casta Zeylanica, siliquis latis compressis minoribus. 47
Herba Viva, Acostæ. 54

J.

Jacobæa Æthiopica Laricis folio. 136
Jacobæa Æthiopica Lavandulæ folio. ibid.
Jacobæa spicata Monomotapensis prima, 137. *altera.* 138
Jacobææ affinis Planta tuberosa, Capitis Bonæ Spei. 138

K.

Kauki Indorum, vide Arbor Kauki.

L.

Ladschini Brachmenibus, vide Herba Casta Zeylanica.
Laserpitium daucoïdes Prutenicum, viscoso semine. 167
Leonurus Capitis Bonæ Spei. 171
Lion Arbor, vide Arbor camphorifera ex Borneo.
Lunaria racemosa minor, Adianti folio. 183
Lunaria racemosa minor, Matricariæ folio. 184
Lunaria racemosa minor, multifido folio, Casp. Bauhini. ib.

M.

Megasac Syrorum, vide Poterium latifolium Asiaticum.
Mimosa non spinosa major Zeylanica. 51
Myrto-genista Capitis Bonæ Spei. 68

O.

Orchis Anthropophora Oreades Lusitanica. 102
Orchis Apem referēs Lusitanica. 98. *ejusq; varietas.* 100

Orchis Cercopithecum exprimens Lusitanica prima. 97. *altera.* 98
Orchis Muscam majorem cœruleam repræsentans. 100
Orchis Myodes fusca, sive Scarabæum exprimens. 101
Orchis Myodes lutea Lusitanica. ibid.
Orchis radice repente, maculatis foliis. 102
Ornithogalo affinis radice tuberosâ, Cyclaminis folio Capitis Bonæ Spei. 93
Orobus Americanus luteus, siliquis incanis. 75
Oxyi affinis Planta bulbosa Africana, flore purpureo amplo. 102

P.

PInei nuclei Malucani, Acostæ. 119
Plantaginella aurea alopecuroïdes Brasiliana, foliis gramineis. 108
Planta leguminosa Æthiopica, foliis Rusci. 69
Planta leguminosa Brasiliana Phaseoli facie, flore purpureo maximo. 78
Planta muscosa & plumosa Guyanensis perelegans major. 194. *minor. ibid.*
Plantæ novæ, à D. Hermans Anno 1672 *in Promontorio Bonæ Spei detectæ.* 177, 178.
Plantæ novissimæ, ad Excellentissimum D. Arnoldum Syen Anno 1676 *ex Promontorio Bonæ Spei transmissæ.* 180
Plantæ rarissimæ, à D. ten Rhyne Anno 1673 *in Sinu Saldanha & Promontorio B. Spei observatæ.* 178, 179
Plegmaria mirabilis Zeilanica, granulis orbicularibus. 180. *trigonis granulis.* 182
Polygala fruticescens Capitis Bonæ Spei. 107
Polypodium Indicum Scolopendriæ facie primum. 190 *secundum.* 191. *secundi species altera.* 191. *tertium. ibid.*
Poterium latifolium Asiaticum. 74
Pulsatilla flore obsoleto, caule nudo. 135

Pul-

Pulsatilla polyanthos Anemones folio, 132. *alba*. 133. *rubra*. 133. *violacea*. 132

R.

Rapuntium Æthiopicum cœruleo galeato flore, foliis Coronopi. 174. *foliolis dentatis*. 175. *violaceo galeato flore, foliis Pinastri*. 173

Rapuntio affinis lini facie, Capitis Bonæ Spei. 175

Ricinus Americanus, tenuiter diviso folio. 116

Ricinus minor Indicus, Solani foliis. 118

S.

Salvia arborescens major Africana, foliis Verbasci. 169

Salvia minor Æthiopica, foliis Chamælæagni asperis. *ib.*

Salvia Syriaca, Cisti fœminæ foliis, acetabulis Moluccæ. 170

Sanamunda prima, Clusii. 19

Sanamunda tertia Clusii. *ibid.*

Sanamundæ tertiæ Clusii affinis foliis Polii, Capitis Bonæ Spei. 18

Saxifraga angustifolia autumnalis, flore luteo guttato. 104

Saxifraga angustifolia autumnalis, flore luteo guttato, foliolis florum magis acuminatis. 106

Scolopendria Indiæ Orientalis, Musæ facie. 192

Selago Indiæ Orientalis, vide Plegmaria mirabilis Zeylanica.

Senecio viscosus Æthiopicus, flore purpureo. 139

Siliqua Arboris Guatapanæ. 56

Siliqua Fruticis, foliis Acaciæ, Mesopotamici. 55

Siliqua Nabathæa *ibid.*

Sisyrinchium candidissimis floribus, Capitis Bonæ Spei. 85

Sisyrinchium ex phœniceo suaverubente flore Æthiopicum. 83. *alterum*. 84

Sisyrinchium ramosum Æthiopicum, foliis plicatis nervosis & incanis, radice tuberosâ phœniceâ. 85.

Ta-

T.

Tapyracoaynana Brasilienſibus, vide Caſsia fiſtula Braſiliana, flore incarnato.
Theè Sinenſium. 111
Thymelæa Æthiopica, Paſſerinæ foliis. 10
Totta Vaddi Malajis, vide Herba Caſta Zeylanica.
Trifolium cochleatum ſpinoſum Syriacũ, foliis laciniatis. 81
Trifolio affinis Indiæ Orientalis Xanthii facie. 82
Tſia Japonenſibus, vide Theè.

APPENDIX
ad
CENTURIAM
PLANTARUM
EXOTICARUM,
aliarumque
Minùs cognitarum
PRIMAM

JACOBI BREYNII
GEDANENSIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0242



APPENDIX
ad
CENTURIAM PLANTARUM EXOTICARUM PRIMAM,

QVoniam Plantarum, in Centuriâ Primâ jam descriptarum nonnullarum Fructus, quarundam ramos reſiccatos, vel imagines, vel relationes à ſæpè laudato Dn. Doctore *ten* RHYNE, *cùm jam eſſet Centuria mea excuſa, demum impetravi, hîc, pro Appendice, de iisdem ſequentia referre placuit, indicatis capite & paginâ, quibus inſeri debent.*

FRUCTUS ARBORIS CAMPHORIFERÆ JAPONICÆ.

Ad Cap. VI. pag. 13. *lineam* 22. *ante periodum*, Et tantùm de Arbore Camphoriferâ Japonicâ.

DE *Floribus* extremitati ramulorum innaſcentibus, nihil adhuc memoratu dignum percipere potui. His autem *Fructus* ſuccedunt (quorum copiam *Dn. D. ten Rhyne* mihi fecit:) odore quâ folia fragrantiores, è calyculo oblongo, verſùs pediculum faſtigiato, petiolum tenerum atq; parvum habente, emicantes, Juniperi baccarum & facie & magnitudine; cortice pallido ut plurimùm, in quibusdam nigro vel fuſco & rugoſo conſtantes; ſub quo *Nucula* orbicularis ex nigro fuſca, non valdè dura occultatur, intus coloris nigri & ſplendens, *Nucleum* continens ſubalbi-

dum, bifidum & pinguem, ſaporis aromatici, & acrimoniâ haud ingratâ linguam titillantis.

Ad ejusdem pagin. lineam 23. poſt paragraphum,
Et tantùm de Arbore camphoriferâ Japonicâ.

EX quibus patet, rariſsimam hanc Arborem, quam *Domini D. ten Rhyne* ope cognoſcendâ Europæ primus obtuli, ad glandiferas vel ſi mavis bacciferas aromaticas, nucleum in binas partes ſectum continentes pertinere, & *Arbori canelliferæ*, vel *Lauro* veluti affinem proximè jungendam eſſe.

AD FINEM EJUSDEM Capitis.

TAndem ad Arboris augendam camphoriferæ Hiſtoriam, *Excerpta* ſequentia *de differentiâ Camphoræ*, ab *Excellentiſsimo Domino D. ten Rhyne* mihi ex *Obſervationibus ſuis Japonicis, Phyſicis*, humaniſsimè communicata, hîc evocare in lucem intermittere nolui.

„ Camphora ex natali Solo in Japonenſem, „ Borneenſem, & Sumatrenſem primariò diſpe- „ ſcitur; una præſtantior alterâ eſt: ita etiam ut „ in Japoniâ ac Chinâ totum *Picol*, id eſt Japo- „ nenſis 125. *lb.* ibidem non pluris veneant, quàm „ *lb.* $1\frac{3}{4}$ Borneenſis vel Sumatranæ; idq; ob me- „ dicaminis energiam (quæ nos etiamnum latet) „ quæ in unâ tantum prævalet alteri. Noſtrates „ Belgæ & cæteri in Europâ populi, Camphorâ „ Japonenſi tantum utuntur: quam perperàm di- „ cunt ſterilitatem efficere; cùm Camphoræ puri- „ ficatores norim multos, qui uberi ſobole fertile- ſcunt;

ſcunt; eâdem tamen cum ſucceſſu in linimen-„
tis, emplaſtris, fomentis &c. utuntur: necdum „
tamen rationem totam expiſcari potui, cur „
tantò majoris Japones faciant alias Camphoræ „
ſpecies; retulerunt equidem mihi, ſe iisdem „
pro cardiaco uti, & collyriis, in oculorum in-„
flammatione, commiſcere; ſed hoc ratiocinio „
necdum me contentum agnoſco, nec enim ita „
delirant nationes hæ, ut nummos fruſtra pro-„
fundant. Japonenſes ſuam ita parum æſtimant „
Camphoram, ut niſi Noſtrates anno præceden-„
ti tantam Camphoræ copiam requirant, illi ni-„
hil præparent: Præparant autem coctione & „
combuſtione ex Camphoræ arboris ligno dis-„
ſciſo, quod uberrimè in regione *Satſumâ* pro-„
venit: illi ciſtas & ſcrinia potiùs inde fabri-„
cant, quàm pro Medicinâ uſurpant, adeò ut hinc „
Zelandorum prævaricatio pateſcat; ad quos, „
cùm in probam pretioſisſima ex Inſulâ *Borneo* „
Camphora mitteretur, remittebant in Indias, „
eandem Japonenſi poſtponentes, quia impu-„
rior erat; ſed etiamſi nos eandem figuram, co-„
lorem ac pondus Japonenſi conciliemus, ſtatim „
dicent Aromatarii & Medici apud eosdem, non „
eſſe legitimam: quippe ſi 100. *lb.* utriusque „
Camphoræ aperto aëri exponantur, intra ſexen-„
nium & antè, Japoniaca tota in auras diſſipa-„
bitur, ubi Borneenſis vix 6. *lb.* perdet; attamen „
Japonenſis Camphoræ folia ſat gratum & effi-„
cacem odorem ſpargunt fricta, ſed nimis vola-„
tilis eſt illa vis, & gummi in iis arboribus exi-„
guum reſpectu Borneenſis; Sumatrenſis tamen „
cæteris præſtantior eſt, & nî fallor, uti & Bor-„

neensis certo anni tempore ex opimis; ut gum-„ mi solent, exstillat arboribus & ab incolis ex in-„ testino arboris susurro percipitur, quando e-„ gressui propinqua sit.

DE CUPRESSO-PINULO.

Ad finem capitis X.

ARbusculæ hujus perraræ vel potiùs Frutícis, *Ramulum* Anno 1675. *Dominus Doctor ten Rhyne* depictum, & anno tandem præterito siccum, nomine *Ericæ noduligeræ capitulis hirtis ex purpureo fusci coloris*, nobis transmisit. *Hic* affinitatem cum Scabiosis quandam prætendere videtur. Namq; Strobilorum inter squamulas *Pericarpia* lanuginosa & dura occultantur, Scabiosæ arborescentis Creticæ haud imparia, concava intus, Semenq; oblongum includentia, in superiore autem parte, calicis loco membranacei, foliolis coronata quinq; crassis ac lanuginosis, quorum in medio *Flosculus* quinis foliolis constructus, Globulariæ luteæ montanæ *Columnæ* accedens; quem (etsi ad flavedinem inclinat siccus) purpurei coloris existimo, cùm ejusdem etiam coloris mentionem in Plantæ hujus nomine *Dominus ten Rhyne* faciat.

DE COLUTEA AFRICANA, FLORE PURPUREO.

Ad Cap. XXIX, pag. 72. post lineam XI.

EX *Ramo* inter Plantas à *Cl. D. Doct. ten Rhyne* juxta Promontorium Bonæ Spei collectas patet, Coluteam hanc elegantissimam, Fruticem natali

natali in loco esse lignosum. *Ramus* enim memoratus, cubitalem circiter longitudinem, & digiti minoris fermè crassitiem contingens, rectus, durus, rigidus, firmus atque valdè ramosus est; in cæteris *Coluteæ Africanæ in horto D. Caroli Chivry p. m. enatæ* persimilis, excepto sapore qui amarus absque ullâ dulcedine.

DE ABSINTHIO TENUIFOLIO ODORATISSIMO MONOMOTAPENSI.

Ad calcem Cap. LXXXIII.

SI cui non placet, quòd *Absinthium Monomotapense* à nobis hîc positum, illudq; *Pappescentes* inter habere desiderat, post *Chrysocomen* collocet.

DE EQUISETO JUNCEO NIGRINODO, CAPITIS BONÆ SPEI.

Ad Cap. XCI. pag. 177. post periodum: An Arundinis gramineæ aculeatæ *Alpini* genus?

EQuiseti hujus, Ramum quoque ab Eruditissimo Botanico *Domino D. ten Rhyne* obtinuimus. *Is* obscuriùs viresçens est, guttulis nullis intertinctus, & nihil penè ad spadiceum tendens: cujus in ramulorum minorum uno, *Congeries* squamularum quædam nigerrimarum, in modum *Junci foliacei capsulis triangulis* (*à Johanne Bauhino descripti*) fermè utriculorum, se præbet. *Quæ*, nisi abortus,

tus, majorem hujus plantæ cum *Funcis* vel *Graminibus*, quàm *Equiseto* esse cognationem, manifestè indicat.

DE PLEGMARIA ADMIRABILI ZEILANICA.

Ad finem Capitis XCII.

TAmetsi *Selagini Indiæ Orientalis* meæ, *Plegmariæ* nomen plegmatum propter formam, & *Zeilanicæ*, ob Insulam, unde ad ILLUSTRISSIMUM MÆCENATEM in Europam primùm allata, tribuere decrevi: tamen prætermittere non possum, quin hîc referam, literis XXII. Januarii Anno M.DC. LXXVII. â nativitate Redemptoris nostri ad ILLUSTRISSIMUM DOMINUM, DN. HIERONYMUM à BEVERNINGK, ac *Excellentissimum Dominum Syen*, â *Nobilissimo Domino Hermans* Naturæ scrutatore diligentissimo ex *Zeilan* Insulâ datis, memorari; *Plegmariam* meam nondum à se in *Zeilan* Insulâ repertam; sed non procul à *Cochin*, ubi linguâ *Sancritanensi* (eruditis tantùm in *Malabar* frequentatâ) *Patsin Cherra Tadha* vocatur, provenire & perraram æstimari. Verum enim verò *Plegmaria* quã descripsi, in *Zeilan* Insulâ (ut suo jam notatum loco:) collecta, postmodùm ab aliis Rei Herbariæ haud imperitis etiam (quamvis rarissimè) observata est.

WILHELMI ten RHYNE
MEDICI, BOTANICI
& CHYMICI
quondam
MAGNI IMPERATORIS JAPONIÆ,
nunc verò
MEDICINÆ & ANATOMIÆ
PROFESSORIS
in
BATAVIA Emporio Indiæ Orientalis
celeberrimo

EXCERPTA

ex
OBSERVATIONIBUS SUIS
JAPONICIS PHYSICIS &c.
de

FRUTICE THEE.

Cui accedit

FASCICULUS RARIORUM PLANTARUM

ab eodem
D. D. ten RHYNE
In
Promontorio Bonæ Spei & *Saldanhâ* Sinu
Anno M DC LXXIII. collectarum
atq; demum
ex Indiâ Anno M DC LXXVII. in Europam
ad
JACOBUM BREYNIUM,
GEDANENSEM
transmissarum.

JACOBUS BREYNIUS
GEDANENSIS
AD LECTOREM.

CUm *Centuria Prima Plantarum Exoticarum* additis *Iconibus*, jam ante trimestre, typis impressa, ob defectum tamen Privilegiorum, sinè ullo hactenus fructu esset detenta: intereà temporis, literæ *Excellentissimi Domini Wilhelmi ten Rhyne* multò jucundissimæ ex *Batavià*, *Emporio Indiæ Orientalis celeberrimo* (in quam præterito anno ex *Japoniâ* Insulâ redux, feliciter devenit:) non sinè ingenti meâ delectatione & gaudio mihi sunt redditæ: quibus simul præter Plantas Exoticas resiccatas, *Excerpta* quoque nonnulla ex *Observationibus suis Japonicis, Physicis, de Frutice* perquàm celebri *Theè*, ceu summa erga me benevolentiæ testimonia, humanissimè offerre placuit. Hinc mihi ea non soli servanda supprimendaque; verùm Tecum quoque *Lector Amice*, hìc communicanda statui, quò non modò iisdem uti; sed colligere pariter queas, quæ à *Nobilissimo* horum *Communicatore* Tibi adhuc sint expectanda. Vale. Gedani Anno M. DC. LXXIIX. die V. Mensis Februarii.

EX

EXCERPTA
Ex
Observationibus Japonicis, Physicis, &c.
WILHELMI ten RHYNE,
De
FRUTICE THEE.

SEmen fruticis *Theè* circa mensem Februarium terræ (nî nimio indurata gelu vel nive altiùs tecta sit) mandant Japones sequenti methodo; In terrâ bonâ, dulci, non salsâ, neq; limosâ neque arenosâ nimis, sed temperatâ, rotundam ad octo aut paulò minùs pollicum latitudinem scrobem effodiunt, cui 40. à 50. seminales folliculos confertim injiciunt, exinde scrobem operientes, eandemq;, inhorrescente brumâ, stramineis storeis tegentes. Hæc autem 40. à 50. seminalia capitula communiter in 6. 8. 10. à 14. quandoq; plures, quandoque pauciores, frutices propullulant, quos naturæ suoque ingenio relinqvunt agricolæ, nullo secùs culturæ adhibito artificio, (hîc enim de vulgari hujus fruticis plantatione sermo est) nisi quòd plerique infelix lolium & inutiles herbas evellant circa stirpes; quæ quò in spissius glomeramen altioremque apicem (rariùs tamen supra 4. à 5. pedes) exsurgunt, eò meliores judicantur, mollioribus utpotè magis benignis foliis, quæ rarenter intra primum triennium decerpunt Japones; decerpunt autem plerumque mense suo tertio, qui ordinariò juxta

Plantatio.

Collectio.

noſtrum Aprilem eſt, nonnunquàm adusque medium Maji procurrit (differentiæ autem ratio ab intercalari anno, quovis triennio hîc recurrente, tredecimque menſibus indiscriminatim, ad inſtitutum Pontificis Maximi *Dairi*, metito provenit; ut alibi latiùs) quando matres cum ſuis infantibus & ancillis foliola hæc calathis colligunt: Hi quippe frutices ſub initium veris recentes ramulos novellaque folia emittunt; illa autem novitia (ſubflaveſcente ſuo virore & parvitate à veteribus foliis facillimè diſtinguenda) cùm parùm adoleverint ſiccâ tempeſtate, quâcunque diei horâ, tùm autem inprimis intenſiore ſolis æſtu, avellunt, avulſa circa veſperam portant domum, quandoque ſibi eadem præparantes, quandoque aliis, qui eapropter datâ ope-
Præparatio. râ eò concedunt, vendunt. Coëmptores autem illi ſingula folia fuſæ ex ferro patellæ Sinicæ, nitidæ, candenti atque obliquè collocatæ (ne manus comburant) injectant, eademque manibus aſſiduò convertunt, usquedum flacceſcerint, mundis tunc ſtoreis papyrove imponenda ac perflanda flabello, ut frigeſcant, hinc in planis, ex arundine Indicâ confectis, corbibus conteruntur, donec compactè crispentur: hinc iterum in purâ & modicè candefactâ patellâ, uti anteà, manibus continuò verſantur reverſanturque, donec mediocriter induruerint: Exinde patellæ exemta flabroque frigefacta folia in tertiâ ac quartâ patellis, per gradus minùs calefactis, revolvunt, ut majorem ſiccitatem duritiemque contrahant: Tandem ollis intrinſecè vitreatis benè clauſa ſervant, & in urbes pagosve venalia transferunt: Poſtquàm

quàm autem per ſextiduum circiter ollis reſerata fuêre, easdem aperiunt, foliorumque delectum, minora & teneriora à majoribus & durioribus ſeparando, faciunt, ultimâque vice in qvintâ patellâ, ſecuritatis ergò, ſiccant, in annos tunc durabilia, ſi accuratè obturata teneantur. His examinibus veritate comprobatis ſequentia ſupplemento ſerviant.

Culturæ ac præparationis differentia.

Enimverò non levis eſt culturæ ac præparationis differentia; quem etenim agricolæ ſuo linqvunt genio fruticem, ſolo eradicato Zizanio, ne ſuffocetur, hunc ſummâ curâ ſtudioque colunt illi, qui ex profeſſo pro Magnatibus ac opulentis quibusdam civibus *T'chia* accurant & legunt: Ita propè *Miako* urbem locus eſt, *Ouſi* appellatus, totius Iaponiæ in hoc opere princeps, ubi pro Imperatore, Regibus Majorumque gentium Dynaſtis *T'chia* colitur præparaturque: Ubi exculiſſimæ terræ concrediti frutices à nimiâ pluviâ vel intenſo ardore frigoreve, cæterisque aëris injuriis, ac pravis purgamentis, volatilibus reptilibusve inſectis, ſtudiosè præmuniuntur, juſto rigantur tempore, ac reliqua circumſpectæ culturæ adminicula iisdem adhibentur: Ubi congruâ tempeſtate ſcrupuloſa foliorum fit electio; tenerrimi fruticum ramuſculi primævis in apice foliis nudantur, quæ eapropter cariſſima potentioribus reſervantur emptoribus; hæc autem à mediocribus, hæc iterum à majusculis, hornotinis tamen ſingulis, ſegregantur. Ruricolæ verò ſine discrimine, quævis, horna nihilominùs, folia mixtim colligunt, collecta ſoli exponunt, (antedicti in umbrâ ſiccant) manibus comprimunt, te-

runt, fricant, & in argillaceis patellis, si careant ferreis, suprà relatâ methodo ac ordine super ignem torrent, donec exsiccata ac indurata crispentur. Hæc autem, nisi coëmptoribus divenderint, (hi enim in varias species eadem dividunt) promiscuè in æneo cacabo aquâ repleto, lento coqvunt igne, & sic toto die pro communi potu in foco suspensum servant; donec iteratis tincturis folia illa debilitata rejiciantur, ingestis protinùs novis. Primates autem & locupletiores cives quidam nullum in re domesticâ opus majore diligentiâ, fastu, nitore, atq; artificio (quippe in peculiarem jam penè artem illis conversa est *T'chia* dispensatio) curant, quàm sui *T'chia* præparationem; Quandoquidem qui in cæteris parcissimæ sunt supellectilis, copioso ac superbo instrumentorum famulorumque apparatu impensè, immò ad superstitionem usque, gestiunt.

Plebejorum decoctio.

Potentum decoctio.

Instrumenta. *Instrumenta* autem (quæ in Magnatum ædibus ac spectatioribus quibusdam diversoriis ad pompam prostituuntur) sunt hæc; Ex electo ophitide conflatâ *molâ* (quali nostrates semen sinapi conterunt) quâ suum *T'chia* in tenuem pollinem commolunt: prætereà *fornacula*, ex mixto cum aliis metallis ære artificiosè fusa, cui aquâ plenam *cucumam*, ex eâdem materiâ confectam, superponunt, ut semper præstò sit lympha fervens: Hinc exiguis *cochlearibus* (ex testudineo cornu aliove pretioso ligno vel etiam metallis fabrefactis) viridem illum ac benè fragrantem pulverem *T'chia calicibus* suis (qui deformi formositate illis placent; quò enim magis distorti ac inæquales sunt, eò meliores censentur: ex vicinâ autem Coreâ

in

in Japoniam deferuntur, qui cùm propter loci distantiam, tùm ob argillæ raritatem, magno constant, majore, si simul vetusti) infundunt, ac superfusâ cum mundato *haustro* infundibulove aquâ fervidâ pulverem hunc minutulis, ex arundine Indicâ crenarum formâ artificiosè concisis, *setis* tamdiu quassant, donec in spumam potio illa elevetur. Porrò *famulos* nutriunt ditiores incolæ, alios qui *T'chia* decoquunt, alios qui calices amicis hospitibus deferunt, benè vestiti nitidèque comti; quod in Primorum Oeconomiâ peculiare munus est; ubi decoctor *T'chia* veluti Doctor Medicus gentilitio ritu detonsâ planè comâ à reliquis discernitur. Sinenses autem (quorum methodum nostrates seqvuntur) fervefactam in cupreo cacabo aquam siccis integrisque foliis *Theè*, singulari ollæ priùs injectis superfundunt, tincturamque extrahunt, quam limpidâ aquâ ad gratam amaritudinem temperatam calidè sorbent, saccharumque ut plurimùm unà masticant, uti & nostrates, rariùs autem Japones, tametsi γλυκύφιλοι: Hæc secundâ vice repetita tinctura (minùs tamen efficaci, cùm præstantiores seu volatiliores partes primâ tincturâ maximam partem extractæ sint, vel in auras abierint) etiamnum valet, quâ absolutâ ut plurimùm rejiciuntur folia, quæ mare vastum peragrantibus, addito sale, oleo ac aceto, acetariorum vices, melioris defectu, supplere possunt: Japones autem iisdem foliis rubentes papulas ac cutanea sudamina curant, atque in tinctoriâ arte eadem (vetusta licet) usurpant Mauri &c.

Famuli.

Fru-

Locus natalis. Fruticis hujus natale ſolum varium eſt in Japoniâ, uti in Diario meo ad metropolim *Jedo* ſpeciatim recenſui; plurimus tamen in regione *Fiſien* creſcit: Humo gaudet neque arenosâ neque lutosâ nimis, neque declivi, neque acclivi nimis, apricâ & temperatâ planitie lætior: Multis autem in locis inter ipſa frumenta in pulvillorum liris (in pulvillos enim dispeſcunt agros ſuos Japones, ut tantò commodiùs ſtercorare, ac inutile gramen decerpere queant, tum ut ſtagnans in liris aqua frumenti radices vicisſim blandiùsque alat) frutices *Theè* conſitos intuearis.

Pretium. De pretio certi nihil determinari poteſt, incredibiliter enim variat; illud ſaltem in genere verum eſt, pro foliorum magnitudine pretium augeri vel minui, *quantùm* namque *magnitudine ſurſum decreſcunt*, *tantùm pretio accreſcunt*; ut appoſitè animadvertit *Excell: Piſo:* Præcipua quippe foliorum differentia eſt inter majuſcula, horna tamen, minora ac minima, recentia ac vetuſta, dura ac mollia. Singulares autem ſunt in *Miako* emporio mercatores, quorũ juſſu & ſumptu pro Magnatibus folia hæc colliguntur ac eliguntur: Ubi proprium habet *T'chia* mercatorẽ Imperator, alios habent reliqui Reges atque Dynaſtæ. Ab exteris verò tantùm exigunt furunculi Japones, quantum redimere valent: Tanta etenim eſt pretii discrepantia, ut una libra hujus *T'chia* pluris nonnunquam veneat quàm centum libræ alterius: Namque ſunt quædam folia dura, quæ non potui, ſed tinctoriæ arti ſerviunt.

Foliorum præſtantia. Foliorum verò bonitas in gratâ fragrantiâ (proximè autem ad fæni recentis odorem, tantisper

tisper aromaticum, accedit) colore viridi (nam parùm masticata frictaque ubi fuerint, viror vividus emicare debet) sapore subamarè dulci.

Vires autem has tribuunt decoctioni *Theè* Sinenses, quas ex eorum scriptis excerptas translatasque, parùm à me immutatas & ubi necesse auctas parùm, minimè tanquam infallibiles, propino: Consulat experientiæ fidem Lector, & si singulos effectus non comprobet, nunquam saltem, modò crumena non doleat, frequentioris usus pænitebit; Sanguinem igitur purificat, horrenda pellit insomnia, vapores à cerebro arcet malignos, vertiginem capitisque dolorem (præsertim à crapula ortum) mitigat, hydropicis conducit, egregiè enim diuretica est; capitis rheumata exsiccat, humorum acrimoniam corrigit, obstructiones viscerum tollit, visum instaurat; quippe, quantùm ego existimo, hæc decoctio *T'chia* primarium Japonibus est antidoton contra visûs imbecillitatem ac oculorum vitia, illis frequentissima, ac ex assiduo orizæ calidæ & sui *Sacqui* potu & usu (de quibus aliàs prolixiùs) maximè contracta: adustos humores temperat, calidum emendat jecur, induratum lenit lienem; somnum coërcet, in iis præsertim qui rariùs *Theè* bibunt: Cujus rationes explicat Consultissimus Tulpius (maximo Reip. nostræ, Patriæ Urbis ac eruditi Orbis damno summoque meo luctu nuper fatis functus immortalis nominis Senex) loco citando, à quo parùm discrepat Clarissimus Piso in commentar. ad Bontium. Corpora porrò reddit vegeta, inprimis autem hebetiores à somno ac torpore sensus expergefa- *Vires.*

cit; cor exhilarat, timoremque propulsat; intestinorum tormina ac flatus compescit, illosque qui uterum infestant, discutit; viscera viresq; roborat, reminiscendi vim exsuscitat, ingenium acuit, bilem temperat; nephritidem tollit medicamen hoc lithontripticum; ego saltem nunquam in Japonibus vel minimum calculi, sive renum sive vesicæ, indicium reperi, sat sedulò licet inquisiverim; ac tandem dulces in amplexus vertit officium thori.

Scriptorum de hoc frutice conniventiam, nisi sit gravis, culpare eorum vetat gravitas: Succinctè ac doctè *de herbâ Theè* (frutice, vellem dixisse) Amplissimus *D. Tulpius lib. 4. observ. ultimâ*; ubi foliorum *T'chia* (sic quidem rectè juxta Iaponum idioma) formam accuratè describit, cui tamen addi posset foliorum spissitudo, viror, lævor atque nitela, ad instar lauri: appositè idem de ejusdem viribus ac utendi ratione (Sinensium methodo, nunc passim notâ) in quâ ubi perperam edoctus fuerit religiosissimæ veritatis author (quem sinè summâ observantiâ nominare nequeo) videre est suprà; Descriptionis autem defectum authorum fertili allegatione compensat.

Tulpius.

Bontius.

Hæsitantiùs de eâdem disputat *Bontius lib. 6. cap. 1.* cui præter Garciam ab Orta in historiâ rerum naturalium Orientalis Indiæ hactenùs primæ debentur, qui *foliis Consolidæ* (cujus quæso?) prævaricanter hæc folia adsimilat, nisi forsan Prunellam indigitet, quam minorem Consolidam vocat Matthiolus, & tum in singulis cum eâdem non congruunt folia hæc.

Fusius

Fusiùs eandem depingit Commentator ejus Celeberrimus *D. Piso:* Fallitur autem author insignis, dum dicit, Japonum *T'chia ob majorem foliorum contritionem & coctionem nigrum Theè appellari:* Namque Japonum *T'chia* ac Sinarum *Theè* communia sunt nomina, quibus optima æquè ac vilissima folia significantur; nigrum autem *Thee* nunquam saltem ego, vidi; verũ vilioris *T'chia* decoctio, quò pejor est, eò majorem flavedinem contrahit magisve rufescit. *Albicantibus* equidem, sed non *perpetuis floribus ramusculi* hujus *Fruticis ornatè vestiuntur*; quoniam à medio circiter septimi (qui juxta nostrum Augustum est) ad aliquam partem octavi Iaponensium mensis flores emittit hic frutex, qui tùm decidui seminalia capitula relinqvunt. *Quinariam* exactè *foliorum in unoquoque frutice differentiam* ego saltem observare nequivi. Seminalia autem illa capitula (sic malim vocare, utpotè plurium seminum receptacula) *rotunda* non ad *novas*, sed ad *plantas producendas* messi aptas, *triennio indigent*. Quòd autem *in Europæis regionibus quædam sanitatis incommoda æquè efficaciter non arceat potus ille Theè*, quàm apud Sinas vel Japones, non *præparandi utendive modo* adeò imputandum censeo, quàm quidem assiduitati usûs & temperatiori victûs rationi. Tandem in enucleandis viribus emphaticâ hyperbole utitur ingeniosus & clari nominis decorisque author, cujus de hoc frutice statumina laudem simul ac trutinam merentur. Expressa autem fruticis imago mihi in singulis non perplacet. *Piso.*

* *
*

FASCICULUS RARIORUM PLANTARUM,

à

DN. D. WILHELMO ten RHYNE

in

Promontorio Bonæ Spei, & Saldanhæ Sinûs conterminis locis

Anno M. DC. LXXIII.

collectarum,

atq; demum

ex INDIA Anno M. DC. LXXVII.

in EUROPAM

Ad

JACOBUM BREYNIUM GEDANENSEM,

transmissarum.

***

TAndem quoque *Plantarum*, quibus siccis paucos ante menses à *Nobilissimo* sæpiùs memorato *Domino Doctore ten Rhyne*, Summo Amico meo ex Indiâ donatus sum, mentionem facere haud negligam: Et iis quidem ut plurimùm nominibus, quibus à me sunt insignitæ; quanquàm plurimæ non ex genuinâ earum tesserâ, (quippe quâ carebant:) sed juxta id, quod in illis maximè notabile atque conspicuum fuit. Certâ spe fretus, quovis illud tempore Peritos Artis debitâ cum animi moderatione consideraturos.

Absin-

A.

Absinthio Seriphio similis Capitis Bonæ Spei.

**Absinthium tenuifolium odoratissimum Monomotapense:* in Centuriâ primâ descriptum.

Alcea minor Africana, Althææ facie, flore purpureo parvo.

**Amygdalus Æthiopica fructu holoserico:* in Centuriâ I. descripta.

Arbor rosea prima, sive Arbutifolio, flore flavo, D. Wilhelmi ten Rhyne.

Arbor rosea secunda, sive Styracis folio, D. Wilhelmi ten Rhyne.

Asphodelus major ramosus Capitis Bonæ Spei.

B.

Bellis Erucæ folio incana, Capitis Bonæ Spei.

Buglossum Africanum, Echii folio.

C.

Camphoratæ similis, longiùs radicata.

Camphoratæ similis altera, magis hirsuta.

Chamægenista Capitis Bonæ Spei.

Chenopodæ similis, planta mirabilis Africana, Echini Alpini *facie, sed minimè spinosa.*

Chrysanthemum Africanum pumilum, foliis Absinthii alpini umbelliferi minoris.

Chrysocome Africana, flore albo, angustissimis foliis: è Radice hujus, *Virgæ* exeunt multæ, pedales, nonnunquàm ampliores, lignosæ, firmæ, in multos ramos tomento albo candicantes diductæ; & ab imo ad summum *Foliolis* crebris ac angustissimis, Stœchadis citrinæ Italicæ Herbariorum dimidiò brevioribus, densè stipatæ. Summos verò ramulos *corymbi* occupant admodùm elegantes, Gnaphalii Americani à Clusio descripti floribus valdè accedentes, sed qua-

druplò minores, è candidulis infra aliquando ruffescentibus ita compositi squamulis, ut umbonem in medio comprehensum, duplici & triplici serie notabiliter circumradient. Unde hæc *Planta*, aliis forsan *Asteri* potiùs videri posset accensenda. Verùm hujusmodi minutias non æstimamus, multò minùs Naturæ figemus legem, quin in his potiùs eidem nos accommodabimus. *Semen* minùs pappescens, Chrysocomes vulgaris seminibus par.

In herbosis juxta Promontorium Bonæ Spei *Dn. ten Rhyne*, ut & duas sequentes collegit, mihique cum singulari meo gaudio communicavit.

Chrysocome Africana, flore phœniceo angustifolia: Planta alba & penitùs tomentosa est, Chrysocome Germanicæ angustifoliæ flore ex aureo rutilante similis; nisi quòd *Folia* angustiora & breviora, eorumque ex alis ramulos complurimos, foliis minoribus vestitos promittat. *Flores* densissimè in glomerulum congesti, multò sunt minores, squamulis exilioribus minùsq; splendentibus ex ignescente phœnicei coloris imbricati; quorum medium staminula quædam minutissima, in pappos *semine* appenso perquàm pusillo, abeuntia occupant.

Chrysocome Africana, flore phœniceo, serratifolia: perraræ hujus Plantulæ *caules* etiam candicant, multò tamen infirmiores sunt, inque debiliores & longiores ramos divisi; *Foliis* paucioribus multòque brevioribus, latioribus, serratis, nervosis, incanis quidem minùs tamen quàm superioris, Euphrasiæ latifoliæ Italicæ *Fabii Columnæ* quo-

quodammodò æmulantibus ſepti. *Flore* & *Semine* cum præcedente convenit.

Chryſocome Impia, ſive Filago dicta, Capitis Bonæ Spei prima, ſive pumila.

Chryſocome Impia, ſive Filago dicta, Capitis Bonæ Spei altera.

* *Colutea Æthiopica flore purpureo*: in Centuriâ deſcribitur.

Conyza Africana, foliis Stœchadis citrinæ Gallicæ: Suffrutex pedalis eſt vel altior, *Elichryſo XI. Caſpari Bauhini* ſimilis, ſed magis lignoſus, *Foliis* pluribus Stœchadis citrinæ Gallicæ, ſed anguſtioribus; *Flore* majore, cujus umbo petalis longis & anguſtis circumradiatur. *Radix* lignoſa, multis fibris divaricata: *Semen* pappeſcens. In Africâ juxta Promontorium Bonæ Spei *Excellentiſſimus D. ten Rhyne* collegit.

Corruda ſpinis horrida Africana prima, ſive Corruda tertia Cluſii.

Corruda ſpinis horrida Africana ſecunda, ſive foliis Aſparagi Sylveſtris.

Corruda ſpinis horrida Africana tertia, ſ. Hippuris facie.

* *Cupreſſo-pinulus, Capitis Bonæ Spei:* hujus deſcriptionem in Centuriâ & Appendice dedimus.

Cyanus Centauroïdes fruticeſcens Lavandulæ folio Capitis Bonæ Spei: Frutex mihi videtur lignoſus, quantùm ex *Ramis* duobus à *Dn. D. ten Rhyne* in Promontorio Bonæ Spei collectis augurari licuit. *Hi* quadrati, lignoſi nec non incani ſunt, binis alternatim ramis, *Foliola* Lavandulæ haud diſſimilia, ſed breviora è regione habentibus, præditi: quorum ſummitatibus *Capitula* etiam ex adverſo bina innata, haud craſſa, pollicem transverſum

versum longa, latis incanarum squamularum & membranacearum scandulis, Caryophylli spicati *Aldini* calyculorum de more imbricata; staminulis referta Serratulæ similibus, quorum color me latet. *Semen* magnum, oblongum, pilis molliusculis argenteo colore splendentibus hirsutum; longissimisquè in modum Stœbes Rosmarini folio *Ponæ*, sed ad phœniceum tendentibus coronatum.

Cynoglossum Africanum Myrtifolium.

Cynosorchis Capitis Bonæ Spei.

E.

Elichryson minus Africanum, flore aureo.

**Equisetum junceum nigrinodum, Capitis Bonæ Spei:* quod in Centuriâ I. describitur.

Erica Coris folio Æthiopica, flore purpureo tetrapetalo.

Erica Serpilli folio Æthiopica, flore purpureo pulchro.

Evonymus Africanus, foliis Laurinis, fructu aculeato: affinitatem quandam cum Lauro sylvestri Creticâ Alpini prætendere videtur; *fructibus* excepto, qui Betæ Creticæ instar in aculeos, in latera reflexos abeunt.

Eupatorio affinis Suffrutex ericoïdes capitatus, Coris seu Juniperi folio Capitis Bonæ Spei.

F.

**Frutex Æthiopicus baccifer, foliis Myrtilli:* in Centuriâ I. descriptus.

Frutex Æthiopicus, foliis Alaterni.

Frutex Æthiopicus Myrtiformis, Dn. ten Rhyne.

Frutex Æthiopicus, Vitis Idææ primæ Clusii foliis.

Frutex Africanus, foliis Buxi.

Frutex Africanus, Fruticis terribilis Narbonensium folio, capitulis oblongis squamosis.

Fru-

Frutex anonymos, foliis Lauri tini minoris.

Frutex cineraceus muscosus, Capitis Bonæ Spei: in Centuriâ I. additâ accuratissimâ figurâ descriptus.

Frutex corymbiferus Africanus, Chrysanthemuli ericoïdis facie, floribus Globulariæ: Frutex est lignosus, *ramis* compluribus, cortice ex obsoleto purpurascente fusci coloris tectis; quorum juniores Chrysanthemuli ericoïdis (in Centuriâ primâ capite LXXXII. descripti) adeò similes, iisdemque stipati *foliis*, ut non facilè ab eô distingui possint. *Flores* ramulorum extremitates lutei occupant, Tanaceti instar florum quasi in umbellam dispositi, orbiculares omninò, Globulariæ seu Aphyllantidis Herbariorum perbellè referentes, minores quidem & ex *tubulis* minutissimis quinq; partitis densè admodùm conflati, sedem suam minutissimo in *Fructu* fixam tenentibus: *quem* propter immaturitatem exilitatemq; fortuna examinare mihi non concesit; an veluti Cupresso-pinuli seminum pericarpia concavus & semine refertus; aut an ipse Semen illud? Quicquid verò sit, sive fructus, sive semen, certo certiùs, *illud* eodem penè, quo Absinthii semen modo teneræ involutum lanugini observatur.

Frutex foliis Chamægenistæ Creticæ.

Frutex leguminosus Myrtifolius, siliquâ hirsutâ, Anonidis montanæ præcocis, purpureæ fruteſcentis (à Domino D. Morison descriptæ) *facie.*

Fucus carnosus coralloïdes, Capitis Bonæ Spei.

G.

Geranium Malvæ folio odoratum, flore purpureo, Capitis Bonæ Spei, Domini ten Rhyne.

Geranium Myrrhidis folio, Æthiopicum parvum.
Geranium noctu olens Æthiopicum, foliis Myrrhidis angustioribus minùs hirsutis;
Geranium noctu olens Æthiopicum lanuginosum, foliis Myrrhidis latioribus minùsque laciniatis, flore rubro vel purpureo pereleganti.
Genista aspalathoïdes polyanthos major, Capitis Bonæ Spei.
**Genista ericoïdes Africana, sive Genista-spartium cæruleum Capitis Bonæ Spei,* in Centuriâ I. descripta.
Genistæ affinis Africana, flore cæruleo, alatis & punctatis foliis asperiusculis.
Gladiolus flore pendulo.
Gladiolus major latifolius, flore rubro maximo, Capitis Bonæ Spei. An Gladiolus maximus Promontorii Bonæ Spei, flore rubro incarnato, Swertii?
Gladiolus major ramosus, flore cæruleo amplo.
Gladiolus medius flore majore.
Gladiolus minor gramineus, flore parvo cæruleo.
Gladiolus minor gramineus, flore parvo pulchro variegato.
Gladioli species aliæ, Capitis Bonæ Spei.
Gramen triglochin bulbosum Monomotapense.

H.

Hyacinthi & Cotyledonis faciem mediam obtinens Planta Africana, floribus luteis longissimis atque striatis: sub nomine Gladioli Imperialis, *ab* Excellentissimo D. ten Rhyne *tàm resiccata, quàm depicta nobis transmissa.*

L.

Lamella radicis Palmitis, Capitis Bonæ Spei, Dn. ten Rhyne.

M.

Marrubium album minus Africanum, calyculis amplis.
Monorchis Capitis Bonæ Spei.

O.

Olus atrum Africanum.

Or-

Ornithogalum umbellatum maximum, Capitis Bonæ Spei.

P.

Perfoliato anguſtifolio montano Columnæ *ſimilis Planta umbellifera nova, fructu triplici membranaceo, C. Bon. Sp.*
Pimpinella maxima Africana flore purpureo, D. ten Rhyne.
Planta Corios folio Africana.
Planta fruticeſcens Africana perrara, foliis Peucedani, floribus conglomeratis Herbæ Caſtæ Americanæ nonnihil ſimilibus.
Planta foliis Ruſci minoribus, Capitis Bonæ Spei.
Planta ſub nomine Thymbræ Africanæ, folio ſpinoſo, in Actis Medicis & Philoſophicis Hafnienſibus depicta.

S.

Sanamunda Africana prima, ſive foliis anguſtiſſimis candicantibus.
Sanamunda Africana 2, ſ. foliis Serpilli minoribus aſperiuſculis, capitulis Thymi.
Sanamunda Africana 3, ſ. foliis Serpilli majoribus incanis.
Sanamunda Africana 4, ſ. foliis glabris acutis.
Sanamunda Africana 5, ſ. ericoïdes major.
Sanamunda Africana 6, ſ. ericoïdes minor, ramulis admodùm lanuginoſis.
**Sanamundæ tertiæ Cluſii affinis, foliis Polii, Capitis Bonæ Spei*: in Centuriâ I. deſcribitur.
Solanum ſpinoſum arboreſcens, Capitis Bonæ Spei.
Stœchadi Arabicæ ſimilis, Capitis Bonæ Spei.

T.

Thymelæa Æthiopica, foliis Paſſerinæ, minor.

V.

Virga aurea Africana, foliis Ericæ bacciferæ.
Virga aurea Africana, foliis Linariæ minoribus.

Atque HÆC etiam
ad
DEI GLORIAM
dicta ſint.

ERRATA.

IN DEDICATIONE: *paginâ* 9. *l.* 20. 21. lege quantam.

IN CENTURIA PRIMA: *paginâ* 3. *lineâ* 20. lege quà. *p.* 9. *l.* 9. pythmene. *p.* 9. *l.* 25. ab avibus. *p.* 11. *l.* 19. parte. *p.* 13. *l.* 8. quà. *p.* 14. *l.* 14. ipſarum. *p.* 15. *l.* 20. cæsâ. *p.* 24. *l. penult.* Abrotani. *p.* 30. *l.* 9. ſubhirſutorum. *ibidem l.* 27. Arboris dormientis, Theophraſti. *p.* 33. *l.* 13. hæc. *p.* 39. *l.* 21. ſpinoſa. *p.* 40. *l.* 20. Æſchynomenes ſecundæ. *p.* 41. *l.* 2. rum. *ibid. m. l.* 9. quà. *p.* 42. *l.* 19. dictavi. *p.* 43. *l.* 7. CAP. XIX. *p.* 45. *l.* 5. in Arbuſculam pulchram. *ibidem. l.* 31. 32. ubi è Semine ex Inſulâ Madagaſcar allato. *p.* 47. *l.* 21. Siliqua. *p.* 49. *l.* 25. ſcribat. *p.* 53. *l.* 13. papilionacei. *ibidem. l.* 25. præterea. *p.* 54. *l.* 31. examinentur. *p.* 59. *l.* 17. ſuperioribus. *ibidem. l.* 33. ellipſin. *p.* 63. *l.* 28. *& alibi paſſim.* Sevenhuyſen. *ibidem antepenult.* Americani. *p.* 65. *l.* 2. quà Æſchynomene ſpinoſa. *ibidem penult.* Adolphi. *p.* 66. *l.* 12. Æſchynomenes ſpinoſæ. *p.* 78. *l.* 10. proximos. *ibidem. l.* 23. quà. *p.* 79. *l.* 3. 21. polyceration. *p.* 79. *l.* 10. pro unâ eâdemque. *p.* 80. *l.* 18. polyceratii. *p.* 85. *l.* 21. phœnicea. *p.* 86. *l.* 23. Ea enim Radix hujus eſt naturæ. *p.* 93. *l.* 27. floribus. *p.* 94. *l.* 19. quod. *p.* 95. *l.* 7. Quod ſi. *p.* 97. *l.* 22. quodſi. *p.* 98. *l.* 28. Strateumaticas. *p.* 99. *l.* 4. quod. *p.* 101. *l.* 5. Cap. XLV. *p.* 104. *l. antepenult.* Saxifragam. *p.* 111. *l.* 9. anni quarti & quinti. *ibidem. l.* 25. poſt *æqualibus* adde: ſed brevioribus, craſſioribus, in ſuperiore latere magis ſplendentibus, inferiore verò (juniorum præſertim foliorum) leniter hirſutis. *p.* 113. *l.* 27. ne. *p.* 116. *l.* 11. Papayæ. *p.* 117. *l.* 4. in caule. *p.* 118. *l.* 21. 26. Lathyridis. *ibidem. l.* 30. Pineis nucleis Malucanis. *p.* 122. *l.* 23. 24. rubentibus. *p.* 128. *l.* 19. Hic. *p.* 129. *l.* 3. ante calidiuſculam pluviam. *p.* 133. *l.* 23. quod. *p.* 135. *l.* 23. 24. M. DC. LVII. *p.* 138. *l.* 28. ſaturâ. *ibidem. l.* 22. ante. *p.* 139. *l.* 8. floruit illuſtratâ. *p.* 149. *l.* 20. ſimplici æquales. *ibidem. l.* 24. exacueretur. *p.* 150. *l.* 27. univerſum. *p.* 151. *l.* 2. ſunt ejus. *ibid. l.* 3. ſententiam ſuam. *ibid. l.* 11. è contrario. *ibid. l.* 25. Dioſcoridem. *ibidem. l.* 27. 28. produntur. *p.* 155. *l.* 4. videatur. *p.* 158. *l.* 19. Aſtere. *ibidem. l.* 23. è contrario. *ibidem. l. ult.* notabiles. *p.* 159. *l.* 29. loco. *p.* 160. *l.* 11. Aſteres. *ibidem. l.* 28. quà. *p.* 161. *l.* ult. eâdem. *p.* 162. *l.* 6. quà. *p.* 164. *l.* 23. duabus. *ibidem. l. penult.* excepto. *p.* 167. *l.* 11. diſtributæ. *p.* 169. *l.* 21. ultra. *p.* 177. *l.* 19. intellexero. *ibidem. l.* 31. Tabularis. *p.* 178. *l.* 2. Tabularis. *p.* 181. *l.* 30. paralii. *p.* 182. *l.* 22. Anni quarti & quinti. *p.* 185. *l.* 2. Rariorum. *p.* 187. *l.* 14. inſigniter. *p.* 189. *l.* 3. obtuſum. *p.* 193. *l.* 21. quà.

Præter ea lege in quibusdam Exemplaribus: *Paginâ* 10. *Lineâ* 29. Foliis. *p.* 11. *l.* 7. foliolorum. *p.* 16. *l.* 6. 7. provenientem. *p.* 20. *l.* 6. Kali, ſive Vermicularibus marinis. *ibidem. l.* 16. facie. *p.* 23. *l.* 15. arctisſimè. *p.* 24. *l.* 19. hic. *p.* 28. *l.* 5. compreſſæ.

IN APPENDICE: *Paginâ* IV. *lineâ* 5. propinqua eſt. *p.* VI. *l.* 24. Verùm. *ibidem. l.* 26. ubi poſtmodùm.

IN EXCELLENTISSIMI DN. D. WILHELMI ten RHYNE EXCERPTIS &c. *Paginâ* IX. *lineâ* 3. Japonicis Phyſicis. *ibidem. l. antepenult.* benignæ. *p.* XII. *l.* 23. conflata mola.

IN FASCICULO: *Paginâ* XXII. *l.* 21. 22. exceptis.

Errata reliqua, commatum vel punctorum, accentuum quoque defectus vel perverſiones, Candido Lectori corrigenda remittuntur.

FINIS.


Fol. I
AMYGDALUS ÆTHIOPICA FRUCTU HOLOSERICO
Andr. Stech delin.
Isaac Saal Sculp.

A



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0271

ARBOR RACEMOSA BRASILIANA, FOLIIS MALABATHRI.





ARBOR RACEMOSA BRASILIANA, FOLIIS APOCYNI.







FRUTEX INDICUS BACCIFER,
VITIS IDEÆ SECUNDÆ CLUSII FOLIIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0277

FRUTEX ÆTHIOPICUS BACCIFER, FOLIIS MYRTILLI.

*





THYMELÆA ÆTHIOPICA PASSERINÆ, FOLIIS.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0281

SANAMUNDÆ TERTIÆ CLUSII AFFINIS, FOLIIS POLII, CAPITIS BONÆ SPEI.

*





ARBOR KAUKI INDORUM.





FRUTEX ÆTHIOPICUS CONIFER, FOLIIS CNEORI, SALICI ÆMULUS.





CUPRESSOPINULUS CAPITIS BONÆ SPEI.

*





CHENOPODA MONO-MOTAPENSIS.

*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0291

FRUTEX CINERACEUS MUSCOSUS CAPITIS BONÆ SPEI.

*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0293

ERICA, CORIS FOLIO HISPIDO, CERINTHOIDES AFRICANA.

*





ARBOR SILIQUOSA BRASILIANA SILIQUA HISPIDA FERRUGINEA CERATONIÆ FACIE.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0297

ARBOR SILIQUOSA BRASILIANA, SILIQUA TORTUOSA PUTRESCENS, FRAXINELLÆ FOLIIS.







MIMOSA SPINOSA PRIMA,
S. BRASILIANA LATIFOLIA
SILIQUIS RADIATIS.



F. 17.



MIMOSA SPINOSA SECUNDA,
S. FOLIOLIS ACACIÆ LATIORIBUS, SILIQUIS LONGIS HIRSUTIS.

C. Stech delin. J. Saal Sculp.





MIMOSA SPINOSA TERTIA SIVE FOLIOLIS ACATLÆ ANGUSTIORIB⁹, SILIQUIS PARVIS ECHINATIS.



MIMOSA SPINOSA QUARTA, S. FOLIOLIS ACACIÆ ANGUSTIORIBUS, FRONDIBUS VALIDISSIMIS SPINIS ARMATIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0307



MIMOSA SPINOSA QUINTA, S. FOLIOLIS ACACIÆ LATIORIBUS, FRONDIBUS LONGISSIMIS ACULEIS MUNITIS.



ICONES CENTURIA PRIMA. 20

MIMOSA SPINOSA QUINTA, FOLIOLIS ACACIÆ LATIORIBUS, FRONDIBUS LONGISSIMIS, ACULEIS MUNITIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0309



CASSIA FISTULA FLORE INCARNATO.
BRASILIANA

Arnoldus Stech delin. Isaac Saal Sculp.




A Stech del:
CRISTA PAVONIS
J. Saal Sculp.



CHAMÆCRISTA PAVONIA BRASILIANA, SILIQUA SINGULARI.





CHAMÆCRISTA PAVONIA AMERICANA, SILIQUA MULTIPLICI.





GENISTA SPARTIUM COERULEUM, CAPITIS BONÆ SPEI.

*





GENISTELLA SPINOSA AFRICANA, LARICIS FOLIO.

*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0321

MYRTOGENISTA CAPITIS BONÆ SPEI.

*





PLANTA LEGUMINOSA ÆTHIOPICA, FOLIIS RUSCI.

*





COLUTEA ÆTHIOPICA, FLORE PURPUREO.






FLOS CLITORIUS





PLANTA LEGUMINOSA
BRASILIANA PHASEOLI
FACIE, FLORE PURPUREO
MAXIMO.



OROBUS AMERICANUS LUTEUS, SILIQUIS INCANIS.



OROBUS AMERICA-
NUS LUTEUS, SILI-
QUIS INCANIS.


Foenum Græcum Silvestre polyceration majus
Creticum
33
AS
minus Monspeliacum
35



TRIFOLIUM COCHLEATUM SPINOSUM SYRIACUM, LACINIATIS FOLIIS.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0337



TRIFOLIO AFFINIS INDIÆ ORIENTALIS XANTHII FACIE





SISYRINCHIV̄
EX PHOENI-
CEO SVAVE
RUBENTE
FLORE ÆTHI
OPICUM



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0341



SISYRINCHIUM RAMOSUM ÆTHIOPICUM,
FOLIIS PLICATIS NERVOSIS ET INCANIS,
RADICE TUBEROSA PHOENICEA.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0343



GLADIOLUS
AFRICANUS
TUBEROSUS,
CEPÆ FOLIO





BULBUS OBLONGUS ÆTHIOPICUS,
FOLIIS GUTTATIS ET CILII INSTAR
PILOSIS

AS. S. Cous. Jr. JS.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0348



ORNITHOGALO AFFINIS RADICE TUBEROSA, CY.

CLAMINIS FOLIO, CAPITIS BONÆ SPEI.

FOL. XLI



Stephanus Cousius pin

J. Saal delin et sculpt.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0351



ORCHIS CERCOPITHECUM EXPRIMENS LUSITANICA PRIMA.

AS JS



ORCHIS APEM REFERENS LUSITANICA.

*





ORCHIS MUSCAM MAJOREM COERULEAM REPRÆSENTANS.

*





ORCHIS SCARABÆUM EXPRIMENS

ORCHIS MYODES LUTEA LUSITANICA





OXALIDI AFFINIS PLANTA BULBOSA AFRICANA, FLORE PURPUREO MAGNO.

*





CENTAURIUM MINUS BRASILIANUM.





SAXIFRAGA ANGUSTIFOLIA AUTUMNALIS, FLORE LUTEO GUTTATO.





POLYGALA FRUTESCENS CAPITIS BONÆ SPEI.

*





PLANTAGINELLA AUREA ALOPECUROIDES BRASILIANA, FOLIIS GRAMINEIS.





AMARANTHO AFFINIS INDIÆ ORIENTALIS, FLORIBUS GLOMERATIS, OCYMOIDIS FOLIO.





AMARANTHO AFFINIS BRASILIANA, GLOMERATIS PARVISQUE FLOSCULIS.





RICINUS AMERICANUS TENUITER DIVISO FOLIO.



RICINUS AMERICA-
NUS TENUITER DIVI-
SO FOLIO.

CATHARIS INDICA FOLIIS SOLANI

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0375



LATHYRIS INDICA FOLIIS SOLANI





LATHYRIS INDICA FOLIIS SOLANI

AS JS



ALCEA JAVANICA ARBORESCENS, FLORE PLENO.





ALTHÆA AMERICANA PUMILA, FLORE LUTEO SPICATO.







GERAN= NOCTU OLENS ÆTHIOP; RADICE TUBERO SA, FO LI IS AN GU- STIORI- BUS.

GERANIUM NOCTU O- LENS Æ- THIOPICUM, RADICE TU- BEROSA, FOLIIS LA- TIORIBUS.



GERANIUM ÆTHIOPICUM TERTIUM, FLORE MAGNO STRIATO.

*





CARYOPHYLLATA MONTANA FLORE PLENO PROLIFERO, FOL. HEDERÆ TERRESTRIS.





PULSATILLA POLYANTHOS VIOLACEA, ANEMONES FOLIO.





PULSATILLA FLORE OBSOLETO, CAULE NUDO.





JACOBÆA ÆTHIOPICA LAVENDULÆ FOLIO.

*





JACOBÆA ÆTHIOPICA LARICIS FOLIO.

*





JACOBÆA SPICATA MONOMOTAPENSIS.

*







IACOBÆÆ AFFINIS PLANTA TUBEROSA,
CAPITIS BONÆ SPEI

A Stech del: Step: Couf: pinx J. Saal Sculp:



SENECIO VISCOSUS ÆTHIOPICUS, FLORE PURPUREO.

*





CONYZA ZEILANICA LAMPSANÆ FOLIIS.





EUPATORIUM ERICOIDES CAPITIS BONÆ SPEI.

*





EUPATORIO AFFINIS PLANTA ZEILANICA, FOLIIS ULMI.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0409



CHRYSOCOME ÆTHIOPICA PLANTAGINIS FOLIO



CENTAURIUM MAJUS AFRICANUM, FLORE AUREO ODORATO.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0413

CHAMÆMELUM ÆTHIOPICUM LANUGINOSUM.

*



T



CHAMÆMELUM LUSITANICUM LATIFOLIUM.









CHRYSANTHEMUM ARBORESCENS ÆTHIOPICUM, FOLIIS POPULI ALBÆ.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0421

CHRYSANTHEMUM CONYZOIDES LUSITANICUM.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0423

CHRYSANTHEMUM CONYZOIDES ÆTHIOPICUM, CAPITULO APHYLLO, FOLIIS MAJORANÆ.

*





CHRYSANTHEMUM AIZOOIDES AFRICANUM PRIMUM, S. LATIFOLIUM.





CHRYSANTHEMUM AIZOOIDES AFRICANUM SECUNDUM, S. TERETIFOLIUM.

*



ICONES CENTURIÆ PRIMÆ. 80

CHRYSANTHEMUM

AINOIDES AFRICANUM

SECUNDUM, S. TERETI-FOLIUM.

CHRYSANTHEMUM AIZOODES AFRICANUM, TRIANGULARI FOLIO, FLORE AUREO.



AS S Cous: fc IS



CHRYSANTHEMULUM ERICOIDES CORONATUM CAPITIS BONÆ SPEI.

*





ABSINTHIUM TENUIFOLIUM ODORATISSIMUM MONOMOTAPENSE.

*







LASERPITIUM DAUCOIDES PRUTENICUM
VISCOSO SEMINE



SALVIA MINOR ÆTHIOPICA, FOLIIS CHAMÆLÆAGNI ASPERIS.

*






LEONURUS CAPITIS BONÆ SPEI
Andr. Reich. delin.
Joh. Bensheimer sculps.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0441

RAPUNTIUM ÆTHIOPICUM, VIOLACEO GALEATO FLORE, FOLIIS PINASTRI.

*



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0443

RAPUNTIUM ÆTHIOPICUM, COERULEO GALEATO FLORE, FOLIIS CORONOPI.

*





RAPUNTIUM ÆTHIOPICUM, COERULEO GALEATO FLORE, FOLIOLIS DENTATIS.





RAPUNTIO AFFINIS LINI FACIE CAPITIS BONÆ SPEI.

*





EQUISETUM JUNCEUM NIGRINODUM CAPITIS BONÆ SPEI.

*







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0452








PLEGMARIA
MIRA
BILIS
ZEILANICA
And. P. Stech delin
Isack Saal Sculp.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0459

LUNARIA RACEMOSA MINOR, ADIANTI FOLIO.





LUNARIA RACEMOSA MINOR, MATRICARIÆ FOLIO.





LUNARIA RACEMOSA MULTIFIDO FOLIO, CASPARI BAUHINI.





FILIX SCANDENS PERPULCHRA BRASILIANA.





ADIANTUM NOVUM GERMANICUM, RUTÆ MURARIÆ FACIE.





Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0469


POLYPO-
DIUM
INDICUM
SCOLOPEN-
DRIÆ
FACIE PRI-
MUM
AS
TER- TIUM
SECUNDŪ
IS




SCOLO-
PENDRIA
INDIÆ
ORIENTALIS
MUSÆ
FACIE.



PLANTA MUSCOSA ET PLUMOSA GUYANENSIS PERELEGANS MAJOR.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0475

PLANTA MUSCOSA ET PLUMOSA GUYANENSIS PERELEGANS MINOR.



ICONES CENTURIÆ PRIMÆ. 101

PLANTA MUSCOSA
ET PLUMOSA GUYANEN-
SIS PERELEGANS MINOR.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0477

Sb 1457
,S 2°


ULB Halle
004 548 795
3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0480

JACOBI BREYNII
GEDANENSIS
EXOTICARUM
aliarumque
MINUS COGNITARUM
PLANTARUM
CENTURIA
PRIMA,

FIGURIS ... *MO*

st



G

Typis, ſumptibus ... ORIS,

DAVID-FR

Anno

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-19004/fragment/page=0482